



1. Antonij. s. Pauli / diff. de Libertate  
Christiana, Halle 1706.
2. Baumgarten s. Sijim. Jac. / diff. de  
Christo Homine obligatione Legum  
Divinarum, antecedente et externa  
soluto Halle 1742.
3. ———— diff. de Officiis S. Scripturae  
naturali et Supernaturali, Halle  
1742.
4. ———— diff. de Vocatione Dei ad  
Salutem, Halle 1742.
5. ———— Examen Miraculi Legionis  
fulminatrix, Halle 1740
6. ———— diff. Vindicias textus Graeci N. T.  
contra Joh. Harduinum exhibentem, Halle  
1742.
7. ———— diff. de imputatione peccati Adams,  
tibi posteris facta, Halle 1742.

27.6.  
Q. D. B. V!

DISPUTATIO II.

qua

**INDIFFERENTISMUM  
RELIGIONUM,**

sub larva

Erici Fridlibi,

impie defensum,

*In Academia Wittenbergensi ad purum Dei  
verbum examinant, juxta & improbant*

PRAESES

**GOTTLIEB VVERNSDORFIUS,**  
Theol. D. & Prof. P. Extraord. Collegiique

Philos. Adj.

&

RESPONDENS

**JOHANNES JACOBUS Weßler /**

VVeiffenburgo-Noricus.

*d. April. c1o 1000.*

---

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.

M. D. C. C. L. V.

DISPUTATIO II.

DE

INDIFFERENTISMUM  
RELIGIONUM

Tabular

Etich Friedl

implic. censur.

In Academia Viteb. anno 1725. die 10. Martii. Deo  
in praesentia honorabiliss. Patris Rectoris

PRÆSES

GOTTLIEB VARNSDORFII  
Theol. D. & Prof. Rectoris Collegij

THEOL. AD.

RESPONDENS


JOHANNES JACOBUS REHMANN

Wissenschaftl. Director

in Viteb.

THEOPH. KRÄVICH, Act. 1725





§. I.



Osteaquam opinione sua de notionibus & vocabulis satis exposuerat Libertinus, transiturus ad caput quaestionis & causae negat a se fidem *veram* indifferentem statui, statui *crebrinam*, & *intellectualem*, quia, etiamsi multas veritates dogmaticas, & convenientes de rebus sacris conceptus animo quis complectatur, & foveat, siquidem in his subsistat, procul eorum respectu haud dubie damnetur.

§. II. Ubi hoc primum transmittere sine nota non possum, quod & fidem, *quae creditur*, & *quae creditur*, denuo inconsidrate confundit, utramque etiam, quae intellectum spectat, fidei verae contradistinguit, & titulis tantum non contumeliosis exagitat. Hoc enim plerisque graves de atheismo suspiciones injicit. Non quidem Ego is sum, qui onerare quenquam calumniis, aut alienas affingendo sententias laedere cupiat, quod a cordato viro semper abesse oportere existimavi: Fuit etiam aliquando tempus, quo LL. Symbolicorum asserturus auctoritatem terminum, *Entis intellectus*, quo dogmata fideique articulos insignierat *de divina*, malui accipere *subjective*, pro ente quod datur *in intellectu*, vel etiam *objective*, pro ente, *circa* quod occupatus est intellectus: quam *causaliter*, & *effective*,

pro ente rationis, seu eo, quod non datur, nisi per intellectum, ratus indigniorem hunc sensum esse, quam qui salva charitate, omnia in meliorem partem interpretante, praesumi ab homine professione saltem Christiano possit: Nec aliter in superioribus vocem *intellectualis*, & *cerebrinae* fidei accepisse me fateor. Ceterum parum abest, quin illius me lenitatis poeniteat, postquam in dogmaticam, & eam, quae creditur, fidem, tam immani licentia temporum nostrorum Spermologos video debacchari. Omnem quippe in salutem homini conciliandam influxum negari eidem a Libertinis, ac subtrahi, superiore dissertatione docuimus. Jam prodigiola illa vocabula: *Hirn-Glaube / Verstand-Glaube / Wahn-Glaube / Hirngespinn / Grillensängerey* &c. annon vel sola fidem fecerint, homines illos doctrinae nostrae capita pro entibus rationis, somniis, & figmentis habere, in vectis receptisque a Clericorum ordine ad decipiendam plebem, & firmandam auctoritatem infallibilem, eandemque Pontificiae aemulam? Quod ut de adversario crederem, fateor me primum fuisse inductum Viri multo perspicacissimi iudicio, confirmatum vero lectione maleferiati de *teetis reetis*que *Bacchanalibus* scriptoris qui sicut Lutheri doctrinam, auctoritatem, instituta, mores, scurrili dicacitate appetiit, sic eadem Indifferentismi peste infectus, tanto liberius arcanum illud fanaticorum prodidit, quanto sub illa, quam sumperat, persona latere se tutius posse existimavit. Afferam inde unum & item alterum, quo fidem dictis faciam: P. I. p. 81. Von dem Glauben/inquit, konte man vorhin keinen andern concept, als einen in vielen concepten bestehenden Begriff machen. Und dieses war die mensura orthodoxa, wornach man alles bezuckte/und einschrenckte: Und ob gleich an vielen Orten dieses noch herrschet/so siehet man doch aus denen nummehro in der Menge publicirten Schrifften/ daß das NB. Hirnwesen des Glaubens nicht

nicht zu suchen sey/ in dem Köhler- oder Historischen/ sondern in dem lebendigen Glauben und Vertrauen welches NB. kein leerer Gedanken/ sondern ein Werck des Willens ist. P. II. p. 222. Alle solche formula Concordiæ alt und neu (loquitur de Symbolis quæ vetustis, quæ recentioribus, adeoque etiam de Apostolico, cui tamen Auctor in Baptismate per sponsores fidem obligavit) haben NB. weiter nichts als mit Einbildungen himmlischer Dinge/ nicht aber mit dem seligmachenden Glauben zu thun. Der seligmachende Glaube steckt weder im Kopff noch im Halße/ sondern im Herzen: Er bestehet nicht in unserer NB. kindischen Einbildung und Grillenfängerey von göttlichen Geheimnissen. & p. 225. Alles was man mit den Sinnen nicht begreifen kan/ davon hat man keine deutliche und orthodoxe concepte, wenn es gleich natürliche Dinge/ schweige denn übernatürliche und himmlische sind. Sind also NB. lauter fictiones, da zwar immer einer der Sache näher kömmt/ als die andern/ die Beschaffenheit aber der Sache NB. niemahls eigentlich ausgedruckt. Gibt es also in so hohen Dingen/ keine orthodoxie, wenn gleich alle Menschen nur einen Kopff hätten &c.

Quæ si comparentur cum iis, quæ annis abhinc aliquot disputata sunt in vicinia, & a Dn. D. *Breithauptio* in *dissert. de heresi* refutata, cujus schola prodierint egregii illi Indifferentismi defensores facile apparet. Ego vero ad hunc posteriorem hoc libentius volui provocare, quod, quæ alii ambiguo sermone indignant, plano minimeque obscuro scribendi genere prodidit quodque alii *entia intellectus*, hoc ipse *somnia*, *Phantasias*, *figmenta* diserte dixit. Quæ ipsa tamen simul facile fidem fecerint, vix absolvi ab atheimi suspicione posse, quotquot Libertinismum credendi, vel studiosius incrustant, vel pertinacius defendunt. Dudum id fuit subodoratus *Jo. Stapletonus Lovaniensis* Theologus. Itaque in discursu, quod

Politici horum temporum in numero Christianorum non sint habendi: Dicunt, inquit, alii, de rebus leviculis sane totam cum hæreticis contentionem esse, neque opus esse, rem armis transigi, quæ vel in ceremoniarum discrepantia, vel in subtilitatum disquisitione minus necessaria, tota consistat: Omnes quæ dicuntur hodie hæreses Christum ac certam Religionem profiteri, & in hac professione ac religione salvum fieri unumquemque posse. Quos ego homines aut nihil in religione intelligere, aut nullius religionis esse dixerim. Hanc vero, Ecclesiam vel Catholicam & veram, vel hæreticam & falsam tenere, & sub Anti-Christo capite vel esse vel non esse, res est levicula? Quum extra veram Ecclesiam nullum esse salutis locum, omnibus etiam hodie hæreticis in confesso sit? sacramentorum usus, quæ Hæretici nefarie contaminarunt, ad rem religionis parum aut nihil facit? Sacrificio externo Deum colere, vel non colere, & in eo sacrificio de idololatria horrendo & pudendo scelere, vel falso, vel vere accusari, res exilis est? An ex sola fide salus comparetur, aut ad salutem bona opera necessario requirantur, res est magis subtilis, quam cognitu necessaria? Taceo cetera, quæ propemodum infinita sunt, quia omnia dicendi hic nec locus, nec tempus est. Quod autem dicitur, omnes hodie hæreses Christum profiteri, & certam religionem esse; id scita est, vide quæso, ut in atheismi baratrum præcipit amur. Si enim omnis & qualibet hæresis Christianorum religio est, profecto ex converso omnis Christianorum religio hæresis est. Et sic rursus nihil est hoc totum, quod vocatur religio. Sane sicut olim impius Mahumetes ex variis hæresibus Nestorianorum & Eutybianorum, admixtis Iudaicis ritibus suum confluxit Mahumedismum, & conscripsit Alcoranum: sic isti belli Politici ex omnibus hodie Sectis, admixta etiam Catholica veritate, novum nobis machinantur, & parturiunt atheismum. Hæc Stapletonus, si thesin ab hypothese religionis Papæ abstraxeris, rectissime,



sime, in discursu laudato p. 48. Idem *Is. Casaubonus* agnovit, alioqvi Syncretistas inter non postremus, qvi *epist. 645. ad filium p. 823.* de Peleterio scribens: *Ejus, inquit, Lutetia novit in rebus religionis Indifferentiam, quæ ab atheismo quot gradibus differat, ipse viderit.* Non parum suspicionem auget *Fanaticorum, Tremulorum,* ipsius denique *Spinoza* consensio, quos noster hoc in argumento maximam partem auctores habet. *Weigelius in Captura aurea, c. 16. 17.* seqv. cognitionem ex Scriptura haustam vocat NB. einen erdichteten *Schrift- und Wahnglauben,* alias: *elende Pfaffen-articul.* Vid. omnino *Jo. Crocium in AntiWeigel. c. I. qv. I. S. I. p. 38.* Eandem in sententiam *R. Barclajus Tremulorum seu Qvackerorum* facile *Coryphæus de Relig. vere Christ. tb. 2.* distingvit *inter cognitionem certam & incertam, spiritualem & liberalem:* salutiferam *Cordis scientiam, & inanem aereamqve Cerebri cognitionem.* Quæ distinctio dici vix potest, quantopere arrideat *Libertinis, Bened. Spinoza,* (qvem potiore jure *Maledictum* dixeris, quod spinosa ex divina maledictione terra maledictum magis hominem & cujus monumenta tot Spinis obsita vix tulerit *judicio B. Korthodi de trib. Impost. p. 139.*) *in Prefat. Tract. Aulico Polit. Humana,* inquit, *commenta pro divinis documentis habentur, nec jam fides aliud quid est, quam credulitas, & prejudicia.* Et vero ita semper existimatum fuit a sapientibus, *Enthusiasmum & Fanaticismum* proximam esse ad *Atheismum* viam, cum deserto, in quo unice est innitendum, credendorum principio, res ipsas necessario amittamus. Etenim si *Fides,* quæ creditur, h. e. *Symbola, Confessiones, Systemata,* & quibus tandem cunqve scriptis doctrinæ nostræ comprehensa sunt capita, nihil sunt aliud, quam entium intellectus & rationis, fictionum, & inanium cogitationum complexus, quid jam illud est, quod nobis vel *Theologia, vel Religio,* dicitur, aut

aut cui sunt usui doctores, quos ad ædificationem corporis sui Christus constituit? Ergo quicquid de Deo, hujusque natura, de personis, earundemque characteribus, quicquid de attributis, operationibus, beneficiisque divinis traditur, quicquid de mediis salutis, & mysteriis, de novissimis denique & id genus aliis docetur, somnia sunt, fictiones, commenta: Sufficit ad consequendam salutem, ex mente Spinozæ, Hobbessii, & Nostri Libertini, jejuna quædam cognitio, & externa vitæ honestas, a Turcis etiam & Paganis, dummodo recti moris sint studiosi, facile præstanda. Nec obest homini salvando, de sententia Libertini, etiamsi de rebus sacris non modo nullos habeat conceptus distinctos, sed & erroneos.

Wenn er gleich keine so deutliche in gewisse Sätze und Bücher verfasste Erkenntniß davon habe/ ja wenn NB. unsere Erkenntniß auch gleich irrig wäre: = = Wenn ein Irrhumb den Grund des Glaubens umbstossen könnte/ so wären die Heyden nimmermehr zur Christlichen Kirchen auf- und angenommen worden/ denn es stund ja umb ihre fundamental- Articul von Christo und allen Geheimnissen/ so wohl des Wesens als Willens Gottes sehr schlecht. S. 44. Eandem in sententiam Spinoza Tract. Aulicopolit. c. XIV. p. 164. *An Deus sit ignis, spiritus, lux, cogitatio &c. id nihil ad fidem, ut nec etiam qua ratione sit vera vita exemplar? Perinde est quicquid de his unusquisque statuerit. Nihil etiam ad fidem si quis credat quod DEus secundum essentiam vel secundum potentiam ubique sit &c. Hec & similia nihil in respectu fidei, qua ratione unusquisque intelligat: Et sæpe alias: Fides non tam exigit, vera, quam pia dogmata, h. e. talia, quæ animum ad obedientiam movent. - - Ad fidem ergo catholicam ea solummodo dogmata pertinent, quæ erga DEum obedientia absolute ponit, & quibus ignoratis, obedientia est absolute impossibilis; de reliquis autem, prout unusquisque, quia seipsum melius novit, sibi,*

ad

ad se in amore justitiæ confirmandum, melius esse viderit, sentire debet. Quæ omnia refellere operosius, nostri non patitur ratio instituti: Adeatur Fr. Cuperus in Arc. At heifini p. 132. c. XIV. Sufficit, quam belle Indifferentiæ nostro cum Spinoza conveniat ostendisse: quem in quamplurimis adeo studiose secutus fuit, ut integras descripsisse sententias videatur. Fidem dictis per exempla faciam laceffitus. Unicum prodeat in præfenti. Scripsit in superioribus Libertinus: *Sibi vivendi, non opinandi regulam esse scripturas.* Eandem in sententiam Spinoza: *Novi, inquit, Prophetarum in iis tantum pondus habere, quæ NB. usum vitæ, & veram virtutem spectant, cæterum earum opiniones nos parum tangere.* in Præf. Tract. Aul. Pol. Sed transeant hæc. Quod ad rem ipsam attinet, fidem intellectualem, cum *Subjective*, tum *Objective*, spectatam concurrere ad salutem, veramque adeo esse, superiore Dissertatione ostendimus. Idque per imprudentiam largitus est adversarius, dum in ipsa fide Intellectuali quandam sententiarum veritatem, admisit. Ac licet ulla in Secta, adeoque etiam (pro illius saltem opinione) Lutherana, dari adæquatam sententiarum cum revelatione divina, congruentiam neget, hoc tamen a nostratibus contra universam hæreticorum turbam invictis argumentis ostensum fuit. Nec Libertinum nostrum tanti vel ingenii vel eruditionis crediderim, qui vel unius in doctrina erroris reos agere Lutheranos possit. Mirum autem ab adversario repeti, quod a nobis ad confusionem usque Novantium est rejectum, fidem nempe intellectualem non esse salutarem, quia si sola sit & maneat, non salvet. Quanta enim stoliditatis res est, de *efficacia* & bonitate rei judicare velle *ex eventu*? Atqui sic facile mihi erit ostendere, ne meritum quidem Christi, aut Dei ipsius potentiam esse efficacem. Namque & multi pereunt, qui tamen sunt redempti certissime, & ipsi etiam Spiritui S. non raro resi-

B

stitur

fitur *Rom. XIV, 15. Act. VII, 51.* Ergo res & *ἐνέργεια* rei, ex natura  
 ejus, & *actu primo*, insitaque & *nativa virtute*, non ex eventu,  
 aut *applicationis sorte*, deduci debet. Etenim si quis inferret,  
 ideo nihil dari discriminis *venenum* inter & *panaceam*, quia &  
 si illud hauriatur a *sano*, & si hoc non recte applicetur ab *egrotō*,  
 utrobique sequatur mors, vel etiam, quia *medicamentum*, ab  
*egrotō* neglectum non magis ei proffit, quam *sano venenum*;  
 annon is merito derideretur ab omnibus, quum *panacea neglectus*,  
 eaque de causa *interceptus fructus* male trahatur ad *nati-*  
*vam* illius negandam *vim*? Atquinon minus datur inter veram,  
 falsamque religionem discriminis, quam datur inter *panaceam*  
 & *toxicum*. Hæc enim per se *damnat*: illa per se *salvat*. Quod  
 autem homo, qui veram quidem *habet dogmaticam fidem*,  
 sed eam non recte *applicat*, non minus damnatur, quam vera  
 qui destitutus fide sequitur falsam, causa non est in fide, sed de-  
 bitæ applicationis defectu. Malignæ proinde *ἀρετίας* indi-  
 cium est, quod erroneos etiam de rebus sacris, cujuscunque  
 sint ordinis, conceptus homini salvando obesse negat. §. 17.  
 Nam si perinde est qualem quiscunque cognitionem de rebus  
 divinis habeat, cur veræ ac incorruptæ doctrinæ custodiam,  
 falsæ fugam rejectionemque, tantopere commendat Apostolus  
*1. Tim. I, 3. 2. Tim. III, 13. II, 2, III, 14. Tit. I, 9. II, 7. 8.* Cur sanos  
 in fide doctores sequi, malos Prophetas fugere & averfari jubet  
*1. Tim. IV, 17. Tit. I, 9. Rom. XVI, 17.* adde *Matth. VII, 15.* Cur  
 verbum ab orthodoxis annunciatum potentia ad salutem, hæ-  
 resis vero *perditionis & exitiū* dicitur *Rom. I, 16. 2. Petr. II, v. 7.*  
 Cur restitutio imaginis divinæ in intellectu, & ampliores in  
 cognitione profectus urgentur *Col. I, 9. 11. 1. Pet. V, 20. 1. Cor. I,*  
*5. Ephes. IV, 12. 13. Hebr. V, 18. VI, 1.* Cur Scriptura Veritatem  
 doctrinæ tam serio, copiose, ac diligenter inculcat? Conf.  
*Hornbeck. Socin. conf. L. I. cap. 8. S. 2. p. 179. sequ.* *Est, inquis,*  
*male*

male sic agetur de primis Christianis, antea paganis, quorum no-  
 ritiam valde, lubricam tenuemque fuisse constat. Ostenden-  
 dum vero fuerat Libertine, quo loco id insinuetur in Bibliis,  
 Mihi eadem consulenti, & vel per omnes Apostolorum epi-  
 stolas eunti facile se probat contrarium. *Romanorum* fides,  
 egregiique in doctrina profectus toto celebrabantur orbe.  
*Rom. I, 8. Corinthii* locupletati erant in omnibus, in omni co-  
 gnitione, ut rationem reddere possent *omnium I. Corinth. I, 5.*  
 iidemque *omnia* quondam ab Apostolo tradita fidei custodie-  
 bant memoria *c. XI, 2. Galatis* ad vivum expressus, suisque  
 cum beneficiis accurate repræsentatus fuerat Servator *c. III, 2.*  
 In *Ephesios* gratiæ diviniæ *divitiæ* redundaverant in *omni* sapi-  
 entia & prudentia *c. I, 8. Philippenses* abundabant in agnitione  
*omni*que intelligentia, *I, 9. Colossenses* autem implendi erant  
*omni* sapientia & prudentia spirituali *cap. I, 11.* Illi denique ad  
 quos scribebat Joannes, norant *omnia I. Ep. III, 20.* Qua igitur  
 fronte affirmare audeat Spermologus: Es habe mit ihrent  
 fundamental - Articuln von Christo und NB. allen Geheimniss-  
 sen/ so wohl des Wesens/ als des Willens & Dttes/ sehr schlecht  
 gestanden? S. 44. p. 48. Annon omnem is fidem decoxerit  
 qui tanta cum impudentia obloquitur veritati? Quid hoc ali-  
 ud est, quam incrustare Papismum, & animos simpliciorum ad  
 fidem carbonariam, seu manifestam ignorantiam velle redu-  
 cere?

§. III. Sed nunc eo infania progreditur adversarius ut  
 vel ipsum Sacro-sanctum Numen Libertinismo patrocinari  
 contendat, provocando ad illud *Petrinum Act. X, 34.* Nunc  
*re ipsa comperio, quod non sit personarum respectus apud Deum:*  
*Sed in quavis gente, qui timet ipsum & operatur justitiam, is ac-*  
*ceptus est illi.* Quo quidem oraculo *Thomam Munzerum,*  
*fanaticorum in Germania facile principem, ac Spiritu vertigi-*

nis agitatum in eadem causa, eodemque consilio, ab usum, fuisse *B. Seckendorffius* memorat *Hist. Lutheran. L. I. Sect. LXI. §. 176. f. 305. a. addit.* Neque tamen eidem vindicando multum operæ impendemus, quum æquissimo cuique, quam male huc tractum ab adversario fuerit, facile pateat. Non enim Petrus quemlibet in qualibet religione, sed quemlibet in qualibet gente, præstitis nimirum præstandis, salvari posse confirmat. Scilicet eo usque pervasum fuerat plurimis, Christum cum suis beneficiis ad solos pertinere *Judeos*, quippe quibus & promissus olim & postmodum revera *datus* fuisset in tempore, Hoc magis, quod non solum ipse ad alios, præterquam oves perditas domus Israeliticæ, missum se esse negaverat *Matth. XV, 24.* sed etiam discipulos ad prædicandum emissos vicos Samaritanorum ingredi, vel ad oppida Græcorum divertere, prohibuerat *Matth. X, 5.* Cujus mandati rigor etsi emollitus fuerat præcepto, de Evangelio omnibus promiscue gentibus revelando *Matth. XXVIII, 18.* inveteraverat tamen, ut videtur, error, una jussione non funditus removendus. Accedebat prerogativa ordinis in dispensando Evangelio Israelitis concessa, & ab ipsis Apostolis religiose defensa *Act. XI, 19. XIII, 46. Rom. I, 16. Matth. X, 5. 6.* Græcorum quoque & Judæorum inveterata distinctio *Gal. III, 27. Eph. II, 12. 13.* Quorum respectu Petrus ad Cornelium ingressus negabat *fas esse Viro Judeo conversari cum ethnico*, & Christiani recentiores οὐ ἐν περὶ τοῖς, Legis ceremonialis tenaces indignabantur ei hoc nomine, non ante quiescentes, quam se oraculo monitum inductumque esse probaret, mirati tamen, *Deum gentibus etiam dedisse penitentiam ad fidem Act. X, 28. XI, 2. 3. 18.* Quid multa? mysterium esse dicit, Apostolus, idque tempore superiore ignotum, τὰ ἔθνη esse συγκαληρονόμα, ἡ σὺσσωμα, ἡ συμμέτοχα τῆς ἐπιταγγελίας ἐν τῷ Χριστῷ, *gentes esse coheredes, & ejusdem corporis, consortesque*

que promissionis ejus in Christo per Evangelium Eph. III, 16. h. e. ut *καταφράζει Erasmus*, gentes absque Legis Mosaicae praesidio sic per fidem esse conglutinatos Judaeis, ut & in ejusdem hereditatis venerint consortium, & in idem corpus coaluerint, gaudentes communi capite Christo, ac per hoc simul omnium promissorum participes sint facti, quae manent eos, qui fidem habent Evangelio Christi. Ex hoc autem quemlibet in qualibet religione salvari posse quomodo exsculpetur? Non enim gentes, quae tales sunt & manent, sed quae obediunt Evangelio, & convertuntur ad Christum, salvandas esse dicit Apostolus. At, inquit, Deus tamen in convertendo homine nullam habet verorum in intellectu conceptum rationem: quod, qui talibus sunt instructi, saepe tanto pluribus in voluntate laborant vitiis. Vellem autem exposuisset Fanaticus, quo sensu vocem conversionis accipi velit. Nam si adaequate usurpetur & laxè, pro totali hominis, eademque spiritali mutatione, infulsum est negare, Deum in conversione hominis verorum in intellectu conceptum rationem habere, quum hi ipsi ad hominis conversionem pertineant. Sin strictè, pro solius voluntatis emendatione, minime istud concesserim Libertino, in ea provehenda nullam in intellectu veritatum rationem habere Deum. Cur enim Deus id non respiciat, cujus ipse auctor est, quodque ordini ab ipso constituto respondet & pacti nobiscum initi vel praecipuum caput constituit. Jer. XXXI, 33. 34. coll. c. XXIV, 7. Neque enim veritates illas ex seipso educit homo, qui mendax Psalmo CXVI, 11. Caro & sanguis haec talia non revelant, sed pater coelestis Matth. XVI, 17. Conf. c. XI, 25. animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, 1. Cor. II, 15. Itaque non tam ipse Deum cognoscit, quam a Deo cognoscitur, Gal. IV, 9. qui dat oculos ad videndum, & aures ad audiendum, Deuter. XXIX, 4. Porro hunc Deus ordinem in

convertendo servat, ut *Illuminationem Intellectus, rectificationem* voluntatis præmittat. Hunc ergo quisquis turbat, is spernit consilium Dei contra seipsum *Luc. VII.* totumque conversionis effectum culpa intercipit sua. Equidem Libertinus exigui momenti rem esse putat, de Deo divinisque rebus recte existimare, quod idem *execrabile dogma, non sine manifesta animorum ad atheismum dispositione presentissimoque totius Christianismi exitio juventuti in vicinia instillatur.* Nos autem Scripturæ ductum sequentes summam veritatum in intellectu necessitatem agnoscimus adversus omnes fanaticorum turbas, & vel ipsas inferorum portas eandem defensuri. Quomodo enim credent, quo de non audiverunt? *Rom. X, 14.* Qui verbum fructum feret in corde, quod nondum cognoscendo receptum fuit in mente, *Luc. VIII, 15.* Quomodo ambulabunt, ut filii lucis, qui nondum sunt perducti a tenebris ad lucem? *Eph. V, 5.* Qui amabunt Deum & proximum, qui quo nomine, quo rigore, aut quibus rationibus amare debeant, ignorant? Esto, illos, qui *veritates intellectuales* habent, sæpe tanto *pluribus voluntatis vitis* laborare: Non ideo inanes aut rejiculi putandi sunt conformes divinæ revelationi conceptus, qui aliquando vel in extremo mortis articulo vim suam exerunt, erumpuntque in nervum, & voluntatis emendationem efficiunt, nunquam, si absque iis fuisset, subsecuturam, Conf. denuo *Hornb. l. c. p. 178. sequ.* Sed audiamus porro, quam belle de rebus sacris philosophetur Indifferentia: *Statuit, Deum neglecta, quam quis forte habuerit in intellectualibus prerogativa, iis omnibus præsto esse sua gratia, quos integros tractabilesque fore, quosque motibus & incitamentis luminis naturalis morose non repugnaturus esse præviderit.* Weil diejenigen/ welche die meisten Wahrheiten im Verstande haben/ eben mit so vielen/ saßffers mit größern Irrthümern des Willens behaffet sind/ und dem



dem Willen und Neigung ihres Fleisches und Blutes folgen/  
 mehr als diejenigen/ so im Verstande irren/ so wendet er sich mit  
 seiner Gnade ohn Unterschied zu denjenigen/ welche er findet daß  
 sie redlichen Herzens sind/ und denen Regungen und Treibungen  
 des nach den Fall überbliebenen Funckens des göttlichen Ebenbil-  
 des/ welches eben der dritte Theil des Menschen über den Leib  
 und Seele ist/ nicht Boshaffig widerstehen/ und zucht sie mit  
 seiner Vaterliebe zu sich. Summa huc redit: Restare homini  
 post lapsum imaginis divinæ scintillulam, eandemqve 2.) esse  
 tertiam hominis partem, animæ & corpori contradistinctam.  
 3.) Hac excitari ad bonum atqve moveri hominem: 4.) qui  
 motibus si non repugnet, non obstantibus intellectu erroribus,  
 ametur a Deo, atqve e voluntatis sordibus extrahatur. Hoc  
 pacto Deum ipsum Libertinismo favere. Nos a.) reliquias  
 imaginis divini in homine lapsio admittimus: Eadem vero  
 hominis convertendi, adeoque absolute, secundum naturam  
 & essentialiam spectati, partem, eandemqve tertiam, animæ &  
 corpori contradistinctam esse negamus. Nam si hoc de *residu-*  
*o* imaginis divinæ dicere liceret, quod pars sit hominis, quan-  
 to magis de *Toto*. Ast tota perit, quod constat ex *Gen. V, 3. &*  
*Col. III, 20.* (τὸ ἀνανανῆσαι enim involvit restitutionem perdi-  
 ti) quæque nobis restant de Deo, turpisque ac honesti discrimi-  
 mine, ac rebus naturalibus, notitiæ, illæ nil nisi rudera sunt ima-  
 ginis collapsæ, ac velut de integro corpore fragmenta. Ergo  
 si imago Dei est perdita, perdita est pars hominis, adeoque ho-  
 mo post lapsum in essentialibus & constitutivis non integer erit  
 sed mutilus, & quemadmodum eadem per regenerationem ac  
 renovationem instauratur in homine, sic per hanc adversario-  
 rum hypothesein homo renatus completus erit, habebitque  
*tres partes, irrogenitus duas, eritque incompletus. Quod*  
*ἀτόπον.* Tum vero Imago Dei consistebat quondam in *agni-*  
*tione*

*tione iustitia, & sanctitate Col. III. 10. Eph. IV. 10.* Hæc accidentia, qui dici partes possunt? Quapropter hoc ineptissimum commentum non Scripturæ S. & revelationi divinæ, sed, si rem recte putamus, Philosophiæ Platonice, hereticorum, ut *Tertullian. L. de Anima* salutat, condimento, debetur. Quid enim clarius illis *Marsili Ficini* verbis (quem Platonis interpretem multo dexterrimum non immerito iudicamus) *Orat. VI. c. 6.* in conviv. f. m. 294. edit. Ven. *Tria*, inquit, *perfecto in nobis esse videntur, Anima Spiritus atque corpus. Anima & corpus, natura longe inter se diversa, Spiritu medio copulantur &c.* Addatur *Plutarch. de gen. Socr. T. II. 00. f. m. 591. edit. Wechel.* Hinc petiere *Valentiniani & Gnostici*, qui teste *Epiphanio*, triplex hominum faciebant genus, *πνευματικῶν, ψυχικῶν, σαρκικῶν.* Πνευματικῶς, quales se ipsos esse contendebant, putabant fidem habere excellentissimam & a natura, & sine ullis operibus fieri salvos, quos ex *Seth* oriundos esse dicebant. Unde *Sethiani* hæretici. *ψυχικῶς* habere & ipsos a natura fidem, sed exiguam, quod e peiori sint semine, operibus autem salvari. Hos ex *Abel* genitos: Unde *Abelita. Σαρικῶς*, & Carnales nullo modo ad salutem pervenire posse. Hos ex *Cain* natos affirmabant, unde *Cainita.* Vid. omnino *Lamb. Daneus Comment. ad cap. XI. August. de hæres. p. m. 97.* Ex hoc autem patet *Gnosticos* non solum tres hominis partes dari, sed hominem quoque per naturam lumen ad conversionem disponi posse, existimasse. Quæ quam belle cum *Indifferentistæ* opinionibus conveniant, mox constabit. Conf. interim *Iren. L. I. & II. adv. hæret. Tertull. de Præscript. contra hæret. Epiph. hæres. 31.* Easdem nugæ de tribus hominis partibus aliquandiu neglectas recoxit auxitque *Theophr. Paracelsus L. I. Sagac. Philos. c. 2. & alias.* Verba, videsis ap. *Jo. Crocium*, celebrem inter *Reformatos Theologum* in *AntiWeigel. cap. V. qu. III. Sect. I. p. m. 182.* Clara inprimis sunt

sunt

sunt quæ extant τὸ πᾶσι σαρὸν p. 3. Den Leib/ inquit, hat der Mensch von Erd und Wasser/die Seele vom æthere, ist der Siderische Geist: Der ewige Mensch ist das Spiraculum vitæ, aus dem Munde Gottes gangen. Noster, quæ de causâ, nescio, tertiam illam partem *Spiritum* dicere noluit: satis habuit, *natura lumen* dixisse. Neque tamen idcirco a ceteris dissentit. Nam & *Oswaldus Crollius*, in *Basyl. Chem.* illum Fanaticorum *Spiritum* eodem, quo Noster, nomine appellavit Conf. *Crociius* l. c. n. 6. l. b. Accedit *Weigelius* L. de V. & N. Jerusaleme p. 8. nec non in *Astrol. theologis.* c. I. Tum vero *Jac. Böhmius* L. vom Wesen aller Wesen/ & *P. Felgenhauer* im Vorhoff c. IX. p. 135. & alias. Denique communis hæc est Fanaticorum opinio, & Tremulis etiam, seu Quackeris recepta, quorum principis *R. Barclaji* verba, quod Nostri sententiam mirifice declarant, mox afferemus in medium. Nos, etsi probandi onere facile poteramus sapersedere, quippe quod affirmantibus adversariis incumbit, ex abundanti urgemus initio a.) *primi hominis in creatione compositionem*, quæ non nisi duas a Deo partes accepit, corpus e limo terræ formatum: & Spiraculum vitæ seu animam rationalem *Gen. II, 7.* Quæ partes sibi opponuntur perpetuo in Scripturis *1. Cor. VI, 20. 2. Cor. VII, 1. Matth. X, 28.* Christus etiam, omnium hominum haud dubie perfectissimus, non tres, sed duas partes essentielles habuit *Luc. XXIII, 46.* addatur locus *Aët. VII, 60.* b.) *Compositi hominis in morte resolutionem*, quæ non fit nisi in duas partes *Gen. II, 29.* Revertitur enim pulvis in terram, unde erat, & Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum *Eccles. XII, 7.* Urgemus c.) *resoluti* quæ partes *reduntionem.* Non tres enim, sed duæ partes, in extremo censorioque die, revocatis in vitam hominibus, ad eundem numero hominem constituendum redunientur. Hinc resuscitato per miraculum viduæ filio rediisse dicitur Spiritus in corpus *1. Reg.*

C

XVII,

XVII, 21. Idem de filia Jairi legimus *Luc. IIX, 55.* Deniq; addimus d.) *reduniti* quæ partes æternam vel *glorificationem* vel *damnationem* Duæ namqve partes in piis sunt evehendæ ad gloriam *Phil. III, 21. Col. III, 14. Apoc. IV, 4. 2. Cor. V, 1. 8.* Tot etiam, quæ impios, perdendæ sunt in Gehenna *Matth. X, 28.* Quæis observatis ineptissimum illud de tribus hominis partibus Fanaticorum commentum facile profligatur. Vid. *B. Feuerborn. Fasc. VI. Diss. III. p. 952. OO. Lat. Dannh. Colleg. Psychol. Diss. V. contr. 2. p. 131. Misler. T. IX. Giff. Diss. XX. p. 1161. Excell. Dn. Bücher. in Plat. Myst. Cap. I. art. 5. p. 63. Croc. Antivvigel. P. I. cap. V. qu. 2. Sect. 2. p. 186. seqv.*

§. IV. Neqve tamen solum in nova homini assignanda, parte, sed & in assignando parti officio vehementer a Scriptura deflectit, facitqve cum fanaticis, & antiquioribus hæreticis Libertinus. Naturæ quippe lumine excitari hominem statuit ad apprehendendum Bonum, ita ut quisqvis hujus motibus stimulisqve non reluctetur, sed probus ac mitis sit, trahatur & convertatur a Deo. Eadem fere *Gnostici*, eadem *Semi-Pelagiani*, Seculo Superiore *Arminiani*, ac recentiores fanatici tradiderunt. *Gnostici* enim fidem hominibus inesse a natura: salutem vero ex eadem natura esse, aliis autem, etsi non omnibus, accedere merito operum crediderunt. Hinc Pelagianismi femina & initia mox repetita, judicio *Lamb. Danaei l. c. p. 97.* nempe a *Masiliensibus*, e quibus *Casianus Collat. XIII. c. 9. Etiam suis*, ait, interdum motibus hominis ad virtutem appetitus potest extendi. Semper autem a Domino indiget adjuvari. *Prosper* autem *Aquitanicus de Conversionis desiderio*: Cum in his, inquit, qui tempus acceperunt libera voluntatis duo sint, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse quam gratiam (sie müssen vorher den Regungen luminis naturalis folgen) ut initium ex eo; qui

*qui salvatur, non ex eo credendum sit, qui salvat: & voluntas hominis divina gratia sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem: Et, quod mox subjicit, homo ideo accipiat gratiam quia Bono naturae (lumine naturali) bene usus, ut ad istam salvantem gratiam initialis gratia ope meruerit pervenire. Vid. Voss. hist. Pelag. L. IV. P. I. th. 1. p. 387. Non ablutunt Arminius Resp. ad Art. XXXI. Art. 17. cum eoque Corvinus c. Tilenum c. VI. §. 8. p. 155. c. 41. §. 1. qui gratiae primum collatae (intelligunt autem naturam seu lumen naturale) rectum usum Deum ulteriore gratia velle remunerare sibi pervasum habent. His sese jungunt Fanatici, speciatim Weigelius, qui P. II. Postill. p. 148. disertè scribit: Der enge schmale Weg zum Leben in uns/ist begriffen in den Worten: Alles was ihr wollet/das euch die Leute thun sollen/das sollet ihr ihnen auch thun: Das ist das Geseze und die Propheten. Dis ist der Schlüssel der Weisheit/wer darnach lebt/der mag nicht verführet werden. Es ist das NB. angebohrne Licht in einem ieden/ daraus NB. alle Erkenntniß fleusst. Omnium vero proxime ad Libertini Nostri sententiam accedit princeps Quackerorum Barclajus qui in Apol. Theol. vere-Christ. th. 5. §. 6. Unicuique mortalium semen tribuit ac lumen, quo unusquisque illuminetur, cujusque mensuram aliquam habeat in ordine ad salutem, & quod hominis pertinacia & voluntatis ejus malignitate extinguvi, ac vulnerari queat. Quae si cum Indifferentistae nostri verbis ac formulis comparentur mira se prodet consensio. Interim ex his elucet summa verbi Dei, haustiisque ex eo luminis supernaturalis contemptus. Enimvero num quis in intellectu illuminatus fuerit, parum curare scribit Deum: si quis vero ductum luminis naturalis sequatur, hunc converti, extrahique miseriis voluntatis. Quo ipso nescio an abjectius quicquam, vel contumeliosius de veritate coelesti dici poterit. Quod si probitatis naturalis vel vi-*

ta etiam honestioris, & animi tractabilioris in conversione hominis tantopere ratio habetur, quid causa, quod qui his talibus maxime fuerunt ad convertendum dispositi, actu ipso conversi non sunt? *Pharisæi* externam vitæ honestatem innocentiamque, ut qui maxime, præstabant, unde & hæresis illorum dicitur ab Apostolo ἀριστερότης Αδ. XXVI, 5. conf. *Phil.* III, 5. 6. ipsi autem foris videbantur speciosi & iusti *Matth.* XXIII. v. 27. 28. Græcos vero inter num qui majorem probitatem, vitæque innocentiam præ se rulerunt, quam *Stoici*? Namque & Seneca, fortissimam & sanctissimam sectam appellavit *Ep.* LXXXI, 1. & *Plutarchus* in *Cleomene* Eandem, si gravi mitique ingenio temperetur, multum conferre ad Verum Bonum existimat: denique *Hieronymus* in *Jes.* X. Stoicos cum dogmate Christiano in plerisque concordare pervasum habet. Neque tamen vel *Pharisæos* majore, quam *alios*, numero accessisse ad Christum, vel *Stoicos*, quam *Epicureos*, facilius Evangelio nomen dedisse legimus. *Luc.* VII, 30. *Matt.* xxiii, 13. Αδ. xvii. Quin & inter Imperatores optimus & Sapientissimus quisque, *Trajanus*, *Antonini*, *Diocletianus*, *Julianus*, alii, maxime infensi Evangelio fuerunt, acerbissimeque vexarunt Ecclesiam. Contra *Publicani*, & perditissimi quique ἐδικαίωσαν τὸν θεόν *Luc.* VII, 29. & populus simplicior ἐξενέματο τῷ ἰησοῦ ἀνόμων *Luc.* xix, v. ult. Falsum proinde est homines nativa probitate mentis, & obsequio Lumini naturæ exhibitio ad conversionem disponi. Quantacunque enim sint illa in homine, semper tamen restat repugnantia naturalis, & σκληροκαρδία, quæ non minus omnibus hominibus est communis, quam ipsum peccatum Originis: & quemadmodum omnis homo est caro de carne *Job.* III, 5. sic prudentia carnis est inimicitia adversus Deum *Rom.* VIII, 13. Toto die Deus extendit manum suam ad populum contumacem & refractarium. *Jes.* LXV, 2. Somnium vero est Libertini statuere, trahi a Deo,

Deo, sed volentes, & lumini naturali rationisque dictamina obsequentes. Ergone sunt tractabiles antequam trahantur? Atqui Deus aufert durum & lapideum cor, & donat novum, molle & carneum ut in præceptis ejus ambulemus *Ezech.* xxxvi, 26. Si a naturali hominis probitate gratia provocatur convertens, quid opus est Christi apud Patrem intercessione per vulnera, in quo tamen omnia nobis donata esse docet Apostolus *Rom.* VIII, 34? Credo hæc manifestius Pelagianismum sapere, quam ut a me prolixo sermone debeat explicari.

§. V. Sed novus se prodit error §. 15. atque is quidem multo, quam superiores fuerunt, atrocior. Etenim *ordinarie quidem hominem salvandum Christianam quoque religionem profiteri debere statuit: saltem hunc articulum: Christum esse servatorem mundi, propter quem Deus & remittere peccata, & vires recte vivendi subministrare velit: Ceterum extra ordinem Deum imperscrutabilibus modis, inter ipsos etiam Mahumedanos atque Judæos posse quosdam convertere, etsi toto vitæ spatio per verbum externum de Christo nihil cognoverint, nec unquam ad Christianum cœtum vel ob hujus obscuritatem, vel locorum distantium sese contulerint.* Ac illud quidem de solius notitiæ de Christum necessitate inventum, si S. literis conveniret, multo dignius esset centum mactatione boum, quam mirabile theorema Pythagoræ. Quid enim in Ecclesia & republica inde a religionis Christianæ origine majores turbas dedit, quam sectarum & hæresium nomina? Quæ tamen Indifferentistæ *ἁποκαθαρσῶ* uno vel ictu sternuntur omnia. Nulla quippe est in orbe Christiano religio, si ab una & item altera discesseris, quæ illud non æqua mente admittat *ἀλλοιου*. Facilior latiorque hæc Syncretismi via esset quam huc usque per duo secula tentarunt multi, cetera doctissimi, clarissimique Viri, *Erasmus, Wicelius, Cassander, Pareus, Duræus, Calixtus*, alii. At

C 3

enim

enim lubricum est id inventum, sacrisque literis manifesto contrarium. Nam si hæc sola de Christo nosse sufficit, miramur merito divinorum Amanuensium imprudentiam, qui tam prolixa opera, & tanta cum sedulitate nobis exposuerunt credenda, quorum tamen ipsi compendium tribus quatuorve lineis sistere potuissent. Quid opus jam est tantæ amplitudinis scriptura? Cur τελειότητα, & ἐξίτη Theologicam urfit Apostolus, cur tot capita ad fidei θεμελίον retulit *Ebr. V, 12. & VI. 1. 2.* Cur ipse rationem fidei redditurus, cum hoc unum de Christo dogma nominare potuisset, omnibus, quæ a Prophetis sint consignata, calculum se adjicere passus fuit? Sed hæc omnia, absurdissimis hypothesibus, quod fides dogmatica nulli sit usui, quodque Deus in convertendo homine nullam habeat verorum conceptum rationem, quod ad S. literarum præscriptum vivendum quidem, sed non loquendum sit, & aliis id genus ineptiis inicituntur, a nobis in superioribus refutatiss.

§. VI. Quæ vero subsequuntur de conversione hominum extraordinaria, illa Scripturis S. contraria, & pro more a Pelagianis, Arminianis, Fanaticisque petita sunt. Noster ait: **GOTT** habe seine unerforschliche außerordentliche Wege/ durch welche er auch unter Heyden/ Jüden und Mahumetanern diejenigen/ so ihr Lebtag zwar äußerlich von Christo/ und seinem Verdienst nichts gehöret haben/ dennoch aber seinem Zuge nicht böshafftig widerstehen/ nach seiner unendlichen Güte zu sich ziehet/ und wie einen Brand aus dem Feuer heraus reisset. Dessen sey ein herrliches Exempel an dem Hauptmann Cornelio -- und den 3. Wäysen aus Morgenland/ die ohne äußerliches Wort und Erkänntniß zu Christo geführt worden. Eandem in sententiam *Cassianus*, apud *Vossium Hist. Pelag. P. 1. L. IV. thes. 1. p. 394.* Per hæc, inquit, *exempla* (loquitur autem in primis de Cornelio, cui precibus & eleemosynis jugiter insistenti velur remuneratio-

nis



nis vice, viam salutis ostensam fuisse docuerat) *evidentissime*,  
*potuimus advertere, diversis atque innumeris modis, & inscruta-*  
*tabilibus viis (durch unerforschliche und außerordentliche Wege)*  
*Deum salutem humani generis procurare, & quorundam quidem*  
*volentium ac sitientium cursum (die den Regungen des nach dem*  
*Fall überbliebenen Funckens des göttlichen Ebenbildes folgen)*  
*ad majorem incitare flagrantiam, quosdam vero etiam nolentes*  
*invitosque compellere (er reisse sie wie einen Brand aus den Feuer)*  
*&c. Recocta hæc fuit sententia sup. Seculo a Jac. Arminio, in De-*  
*clarat. sententia sua de Prædest. nec non in Exam. modesto lib.*  
*Perkinsiani, inprimis in Apol. ad Art. XXXI. Art. 28. caufato,*  
*verbi prædicationem vulgo haberi pro medio conversionis or-*  
*dinario: Unde constet, esse aliquod quoque medium extraor-*  
*dinarium: Proinde nec hæresin, nec errorem esse dicere:*  
*Deum etiam citra hoc medium nonnullos convertere. Quæ*  
*deinceps sententia defensa fuit ab illius discipulo Sim. Episcopo*  
*in disp. priv. disp. 9. Jo. Arnolde, Corvino pro Arminio c. Titenum*  
*c. XI. c. Molin. c. 37. ab Arminianis omnibus in Actis Syn. Dor-*  
*drac a se editis def. Art. I. & III. Denique Moses Amyraldus*  
*eidem subscripsit cum asscclis suis in Gallis, scholaque Salmu-*  
*riensi. Qui quoniam in peculiari tractatu de Prædestin. c. VII.*  
*p. 81. seqv. non modo docet Eadem, quæ Noster, sed & distin-*  
*ctionem inter vocationem & conversionem ordinariam & ex-*  
*traordinariam urget, aliqua ejus verba huc afferemus: Nihil,*  
*inquit, dubitandum est, quin in quacunqve natione mundi (unter*  
*Heyden/ Jüden und Mahumetanern) quacunqve tandem illa-*  
*sit, cui nomen Christi non est cognitum (Noster: die äußerlich von*  
*Christo ihu Lebtag nichts gehöret haben) Deus nihilominus occur-*  
*rat unicuique, qui commoveatur testimonio de misericordia Dei*  
*&c. Et post aliqua: Proinde est gratia Dei universalis destina-*  
*ta univserfo generi humano, dummodo seipsos non exhibeant indi-*  
*gnos*

gnos --- quia procedit ab amore Dei universali, quem Pater erga genus humanum fovet, qui non est restrictus ad solos credentes, sed etiam ad illos, qui nullo modo sunt invitati ad fidem Christi, nec de eo quicquam audiverunt &c. subjungit: quemadmodum duæ sint Species prædicationis: Una ministerio Apostolorum, & quotquot his successerunt; altera per solam administrationem providentiæ divinæ, conservantis mundum, non obstante hujus iniquitate, facta: sic duas esse species fidei nisi aliunde accedat impedimentum: Illam enim prædicationem ingenerare fiduciam de gratia Dei in Christo Jesu, conjunctam cum distincta salvatoris cognitione: Hanc autem idoneam esse ad ingenerandam fidem de misericordia Dei, destitutam quidem vera & dilucida cognitione Redemptoris, de quo Evangelium nobis prædicet: nihilominus tamen sufficientem, ut fruantur homines ea salute, cujus Deus auctor est. Horum scriptorum occasione coacta fuit *Synodus Nationalis* Reformatorum in Galliis, & subsecutis proxime annis ista de conversione gentilium citra prædicationem verbi per homines, controversia erupit in nervum, ita ut ceteri per Gallias Reformati suos e Salmurienti Academia evocarent alumnos, eosque jurisjurandi formula purgarent ab Amyraldina opinione. Ex quo quanti momenti existimata sit isthæc opinio, vel ab ipsis sanioribus Reformatis, potest intelligi. Vid. omnino luculenta Præfatio, quam *Moses Amyraldus* specimini animæ in *Exercit. Spanh. de grat. univ. præmisit*, Salmur. 1648. Hoc unum, ne me vel calumniæ arguat, vel de illata sibi injuria queratur Libertinus, addo: propius cum ad *Arminii*, quam *Amyraldi* opinionem accedere, ideo quod beneficium hoc extraordinarium non ad omnes extra Ecclesiam adultos (de his enim sermo est, non de infantibus) extendat, sed ad paucos cum Arminio restringat. Quamquam cur nec ab Amyraldo nec ab Arminio hæc petiisse Libertinum, suspicer, causas habeo. Natus haud dubie error ex

eo est, quod Spiritum, s. imaginis divinæ residuum tertiam hominis partem esse existimat, cujus qui motibus obsequuntur, hos ad subsecuturam conversionem hoc ipso disponi statuit. Hinc *Ant. Burignonia hominem etiam ethnicum & infidelem omni mysteriorum fidei notitia, omni mandatorum Dei observatione destitutum solius recollectionis beneficio salvari posse negatur c. 3. im Buch des Lichts der Welt.* Clarius etiam R. Barclajus rem aperit *l.c. th. 4. §. 14. & 16. cum docet: hunc Spiritum (tertiam hominis partem) hominem ex natura sua fermentare, ut multi possint sentire divini hujus & sancti seminis virtutem, eoque a malo ad Bonum conversi, licet de Christi in terram adventu, per cujus obedientiam & passionis beneficium hoc fruamur, prorsus ignari sint.* Ante hos vero *Schwenckfeldius L. de Verbo docet: homines posse absque externa predicatione converti & salvos fieri. Nullam esse viam, nec ullum transitum ab oculis, & auribus ad cor: Ac Scripturam & Sacramenta non posse ad cor pertinere; sed manere tantum apud sensus exteriores & hominem externum.* Nos i.) non negamus homines sine verbo externo vocari trahi que a Deo, idque a.) partim ab *intra* per notitias de Deo *instas*, quæ *theoreticas*, quæ *præcticas*, *Rom. I. 20. II. 16.* partim ab *extra* per notitiam a mundo aspectabili, & *objectis extra nos positis abstractam.* b.) Per suscitationem *Conclusionum præcticarum*, utpote Deum esse colendum, cultu non alio, quam quem ipse præscripsit: quum herus ministrari sibi velit, non ex ingenio servi, sed suo, nec propter turpitudinem, aut poenam naturalem ac civilem, sed propter justitiam & sanctitatem Dei omnia videntis & vindicantis, esse abstinendum a flagitiis, sancteque vivendum. c.) Per *redargutionem* mentis, hujusque convictionem, siquidem æquitatem judicii divini nempe, quod, qui talia faciunt, qualia ipsi admittunt & Apostolus *Rom. I. 29.* describit, digni sint morte, assequi possunt, ex eoque

D

cogno-

gnoscere, sibi necessario confugiendum esse ad universale aliquod remedium, ubi ubi propositum, quo a reatu illis sceleribus contracto liberentur. d.) Per *specimina & documenta divine beneficentia*, tam obvia, tamque luculenta, ut vel a cæco palpari queant *Act. XVII, 27.* e.) Per *Famam de cœtu quodam illuftri*, in quo singularis Dei unius cultus indubiis, & omni exceptione majoribus miraculis confirmatus obtineat, quique instar civitatis in monte positæ in oculos omnium incurrat *1. Reg. X, 2. Matth. V, 14.* Conf. *Morneus de Verit. Relig. c. 26.* f.) Per *naturale iudicium*, quod recte applicatum errores & præstigias in omnibus, præter Christianam, religionibus, facile deprehendit, cujus etiam beneficio homo eo usque pergere potest, donec ad illam perveniat, quæ sibi undiquaque conformis, & omnino sanctu sit. Postremo g.) per *afflictiones & calamitates divinitus immixtas, quæ veluti realis est concio legis, & explicatio illius visibilis*, ut *D. Eckardus* nominat *I. III. Giff. Diss. V. §. 16.* Nec errant nostro iudicio, qui eandem ad ordinarium verbi medium quam proxime putant accedere, ideo, quia debilitat carnem, cujus informatio ad Conversionem suo modo est necessaria. Ut enim efficacia Spiritus S. se apud mortalem exerat, carnis robur, quo illa impeditur, ac retunditur *Gen. VI, 3.* Lex infirmatur *Rom. VIII, 3.* frangi ac enervari debet *2. Cor. XII, 29.* Conf. *Pf. XIX, 36. CXIX, 67. Pf. LXXVIII.* recte *B. Augustinus ad Ps. 102.* *Misericors Dominus vocat undique ad correctionem vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creature, vocat impertiendo tempus vivendi -- vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis &c.* Vid. *Jo. Meisn. Diss. de univ. Vocat. th. 49. seq. Hülsem. in Brev. Suppl. c. VIII. thes. 5. 6. Danhabv. Hodof. Phenom. IX. p. 869. seqv.* Interim II.) his omnibus non directe ad fidem & salutem, sed indirecte vocantur homines. Neque enim Deus homines sine adhibito verbi

bi præconio immediate *convertere* ; sed quædam solum *παράκλησις* ad communionem Ecclesiæ illos *adducere* intendit. Nam, quod bene monet *Dn. D. Breithaupt. Instit. Theol. p. 215.* frustra essent tot via, nisi doctrina verbi animum illustraret, ad quam avidè excipiendam cetera eum disponunt *Luc. X, 14. 17. 1. Cor. I, 21.* Hæc igitur proprie non ad *vocationem* ipsam, sed *vocationis præambula*, & actus pædagogicos, (unde & a *B. Dannhann. Hodom. Spir. Calv. p. 1499.* dicitur *Virtualis*) sunt referenda. Etenim *Vocatio* in rigore, & *strictè* sumpta, quam nonnulli *Actualem* appellant, est actus gratiæ divinæ *2. Tim. I, 9. Gal. I, 15. Rom. IX, 12.* siquidem vocamur a Christo *Rom. I, 6. 7.* huiusque ministris *1. Cor. III, 9. Eph. II, 19. Marc. XVI, 25.* ad nuptias Spirituales *Matth. XX, 3. seqv.* idque per Evangelium *2. Thess. II, 25.* æternis temporibus tacitum *Rom. XVI, 26. Eph. III, 5. 9.* Omnes autem modi *vocationis* indirectæ sunt *naturales* spectantque ad Legem, & nesciunt Christum huiusque meritum. His igitur homo proprie ac directè vocari nequit. *Somnia* sunt, quæ de fide aliqua *Naturali Weigelius in Postillis* hinc inde, & *Fr. Puccius* tradiderunt, quorum ille superior *ἀπορώτως* est confutatus a *B. Feurborn. Fasc. IV. Diss. in prim. IV. §. 46. seqv. p. 969. OO. Lat.* Fides est ex auditu *Rom. X, 9.* ac etiam si Deus omnibus gentibus tantum reliquit luminis, quo possint uti ad inquirenda media informantia de vera religione *Act. XVII, 27;* Nemo tamen eadem media vel *invenit sibi*, vel *adhibet*, nisi quem Deus velut aliud agentem prædicatione verbi sui *prævenit*, perinde ut Saulem a sinas patris sui quærentem ante unxit in regem, quam hic de eo quicquam subodoraretur. Quo simili utitur *Hülsem. de auxili. grat. p. 167.* Idcirco necesse, & ex Dei ordinatione immutabile est, ut quicumque *actu* convertendi sunt, ii vel ad *communioem reipublicæ Christianæ* per trahantur, vel *prædicantium missione* præveniantur. Dixerit Indiffe-

rentista: Hæc se facile largiri quæ vocationem & conversionem  
 Ordinarîam, negare quæ Extraordinariam. At vero de utrius-  
 que generis vocatione intelligi debet illud Rom. X, 17. *Quomo-  
 do credent, de quo non audiverunt: quomodo audient sine predi-  
 cante?* Ultimis temporibus nobiscum locutus fuit per Evan-  
 gelium Hebr. I, 1. 2. Quo loco N. Testamentum quæ tempus,  
 personas, modumque inprimis revelandi veteri contradistin-  
 guitur. Hic enim in V. T. varius erat & multiplex: in N. unus  
 est ac simplex & oralis. Neque etiam hæc verba comparate  
 solum, & *auxeticæ*, sed omnino *exclusivæ* & oppositæ sunt acci-  
 pienda, sic ut negetur Deum πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως nobiscum  
 agere velle: sed uno solum modo, nempe per verbum a Filio  
 Apostolis prædicatum, & ad nos propagatum. c. II, 3. *Vid. Lu-  
 bec. c. Amersb. nec non B. Dannhaw. T. I. Theol. Cons. p. 417.* Ex  
 quo utroque oraculo recte colligit *Hülsemannus: Extraordi-  
 nariam vocationem, seu immediatam infusionem credendorum, in-  
 mentem salvandorum, per Deum aut angelos hodie expectandam  
 non esse. Brev. c. VIII, th. 5. p. 98. & Suppl. th. 4. p. 109. nec non de  
 auxil. grat. Diss. III. th. 1. n. 3. p. 168.* Et quemadmodum pla-  
 cuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes  
 1. Cor. I. Sic homines sunt ministri per quos credimus 1. Cor. III,  
 20. per hos Deus nos obsecrat, & ad reconciliationem invitat  
 2. Cor. V, 20. per hos præparandi sunt sancti ad ædificationem  
 corporis Christi Eph. IV, 12. quæ & salvandi, saltem διακονικῶς  
 1. Tim. IV, 16. Legentes Verbum Dei non quidem audiunt nisi  
 analogice, non habent tamen verbum nisi hominum ministe-  
 rio, quod excludendis enthusiasmis sufficit, verba sunt *Hülf. in  
 de Auxil. gratia l. c. Add. omnino Jo. Crocius in Anti-Wigelio P.  
 l. c. l. Qu. I. p. 41. 42! seqv.*

§. VII. Ceterum uti homines, quæ proponunt verbum  
 nisi in Ecclesia non dantur, sic ex hoc ipso liquet homines con-  
 ver-

vertendos utique ad Ecclesiam accedere oportere. Hæc enim  
 1.) est *ὑλὴ καὶ ἑδραῖωμα τῆς ἀληθείας* 1. *Tim. III, 14.* quia nimirum  
*ministerio suo cœlestis doctrina veritatem divinitus revelatam,*  
*et in Scriptura S. propositam inter homines sustentat, propagat,*  
*commendat, tuetur: nec usquam veritas doctrina cœlestis, nisi*  
*in Ecclesia, invenitur, conservatur et locum habet, interprete Ger-*  
*bardeo L. de Ecclesia p. m. 807. §. 117.* Huic enim 2.) concredita  
 sunt τὰ λόγια τῆς Θεῆς, *Rom. III, 2.* verbum & sacramenta, unica  
 recuperandæ salutis adminicula *Job. III, 5. 1. Job. V, 8.* Quo  
 nomine τὸ σωτήριον est ex Ecclesia *Job. IV, 22.* Et quemadmo-  
 dum 3.) qui olim erant extra Ecclesiam Israeliticam, ἀπηλλο-  
 τρημένοι τῆς πολιείας τῆς Ἰσραὴλ, alieni erant a testamentis pro-  
 missionis, ἐλπὶδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ *Ephes. II, 12.* con-  
 tra vero Israelitarum erat υἰοθεσία καὶ ἡ δόξα, καὶ ἀδιαθήκαι καὶ ἡ λα-  
 τρεία, καὶ ἀπαγγελία *Rom. IX, 4.* sic qui extra Ecclesiam Christia-  
 nam versantur, spem non habent, nec focii participesque fiunt  
 bonorum quæ in Ecclesia dispensantur. Etenim 4.) Oecono-  
 mia non datur extra domum: Ergo nec οἰκονομία bonorum  
 Spiritualium datur extra Ecclesiam, quæ est domus Dei 1. *Tim.*  
*III, 15.* cujusque adeo ministri dicuntur oeconomia mysterio-  
 rum divinatorum 1. *Cor. IV, 1.* Denique 5.) né Libertinus exci-  
 piat extra ordinem salvandos, urgemus locum *Gal. IV, 26.* Su-  
 perior Jerusalem est mater omnium nostri, per quam intelligi  
 oportere Ecclesiam Christianam magno consensu docent In-  
 terpretes, etiam *Dn. D. Breithaupt. Instit. de Ecclesia n. 477.* Di-  
 citur vero Jerusalem, quia ex hoc exiit Verbum Domini *Jes. II,*  
*3. Marc. XVI, ult.* quod est immortale illud semen, ex quo rena-  
 scimur 1. *Petr. I, 23.* Hanc qui matrem non habet, Deum non  
 habet Patrem. Est enim Jerusalem ἡ ἀνω, e supernis, quæ non  
 solum in sublimi excelsoque loco est posita *Matth. V, 34.* sed et-  
 iam sublimia, excellentia, & cœlestia meditatur. *Conf. Jo. III,*

4. *Phil. III, 14.* quæque nos ad Patrem *in cælis* remittit, spretis-  
 que terrenis ac inferioribus, τὰ ἄνω sapere jubet *Col. III, 2.* Hæc  
 mater (notante Balduino,) *omnes vera Ecclesiæ cives facit invi-  
 cem fratres ac sorores, quæ fraternitas deficit, ubi vera fides, &  
 studium bene vivendi exulat.* Quapropter salvandos omnes  
 accedere ad Ecclesiam oportet de voluntate Dei, qui cupit om-  
 nnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, repositam  
 penes eos, quorum officium erat pro infidelibus orare, h. e. Ec-  
 clesiam *1. Tim. II, 2. 3.* Filii enim Dei sunt congregandi, & ad-  
 ducendi *eis ἐν Joban. XI, 52.* & si promissiones applicari debent  
 τοῖς εἰς μακρὰν, qui longe sunt, prius sunt advocandi per Domi-  
 num *Act. II, 39. conf. Eph. II, 12.* Neque enim συμπόλιται τῶν ἁγίων,  
 & οἰκῆοι τῆς Θεῆς fieri possunt, nisi qui ante ad communionem  
 sanctorum, ad civitatem domumque Dei, superstructam su-  
 per fundamentum prophetarum & Apostolorum accesserint  
*1. c. V, 13. & 20. conf. 1. Tim. III, 14. Matth. V, 14. Apoc. XXI, 2.*  
 Crassus proinde & manifestus est *Arminianorum* quorundam,  
 & *M. Amyraldi*, Nostrique *Libertini* error, qui censent, aliquos  
 salvari posse sive verbo, sine deductione ad Ecclesiam. Quos  
 contra merito, cum *Hülsemanno* urgemus vel unius exempli,  
 quod id indubie demonstrare possit, defectum. Provo-  
 cat quidem Noster ad Centurionem Cornelium & Magos;  
 verum hoc ipso non sententiam probat, sed collusionem cum  
 hæreticis aperit. Ad Eundem quippe *Cornelium* se recipit  
*Cassianus Collat. XIII. c. 15.* cuius in loquendo formulas No-  
 strum expressisse supra ostendimus, eidemque precibus & e-  
 leemosynis jugiter insistenti velut remunerationis vice viam  
 salutis ostensam fuisse existimat. Vid. *Voff. Hist. Pelag. P. I. L. IV.*  
*6. 1. p. 394.* Eundem pro se adduxit, ut auctor est *in refutat. p.*  
*4. L. Oslander*, prodigiosi Libertinismi defensor *Fr. Puccius*, ra-  
 tus, *Centurionis preces & benefacta naturali instinctu Deo*  
*pro-*



probata esse, quum adhuc fuisset circumcissionis expertus & Christi ignarus, ideo, quod bona ejus affectio virtualiter & implicite continuerit ea, quæ ipsi postea sint explicatius tradita. De Magis idem Puccius apud Osiandrum, p. 29. primos ex gentibus, ducere stella, Jesum Christum adoratum venisse, ostendentes, lucem salutarem patris cœlestis nemini defuisse. Et sicut credatur servatos eos fuisse sine Sacramentis, sic de innumeris aliis sentiri oportere. Horum quoque exemplum urfit Adrian. Borrius, is, quem primum omnium controversiæ de universali Dei gratia extra verbum, occasionem dedisse scribit Arminius Resp. ad Art. XXXI. Art. 28. Nos I.) salva veritate Cornelium & Magos immediate vocatos, & sine verbo conversos fuisse, dare possumus, cum, quo tempore tot impedimenta propagandæ religioni objecta removeri debebant, & nova Ecclesiæ Epochæ inchoari, mirum non sit peculiariora floruisse dona, & paulo liberalius dispensatam fuisse conversionis gratiam. Quæ uti progressu temporis, plantata jam Ecclesia, & longe lateque disseminata religione cessarunt, 1. Cor. XII. quod deinceps convertendi ordinaria media sufficere potuerunt; ita simul nos monent, his temporibus, quibus per instituta cum Christianis commercia toto terrarum orbe religio ipsorum innotuit, extraordinariam vocationem conversionemque expectandam non esse. Certe hujus nec promissionem, nec exemplum poterunt producere Novatores. At non opus est, ut nodum facile solvendum, ense reseceamus, Cornelium enim II.) & mediante verbo vocatum, & porro ad Ecclesiam adductum fuisse ostendimus a) ex diserta appellatione, quia dicitur ἐὸς ἐκ-  
 Ἐὸς καὶ δῖνος Act. X, 3. Pietas includit verum de Deo sensum, ac rectum ejus cultum. Utrumque repugnat conditioni gentilium, quod patet ex graphica eorum descriptione Rom. I, 21, sequ. usque ad fin. 1. Cor. VI, 9. 10. 11. Gal. III, 1. Eph. II, 12. IV,

17. 18. 19. 1. *Theff.* IV, 5. Ergo quia religionem non fuit ethnicus.  
 b) Ex unius Dei agnitione. Erat enim Φοβόμενος τὸν Θεόν. Gentiles autem quia tales πολυθεότητα statuebant *Rom.* I, 22. E.  
 c) E domus ad pietatem a *sv*efactione. Timebat quippe Dominum σὺν παντί τῷ οἴκῳ. Quod est indicium fidei, quam ubi homo concepit, inflammat alios. *Jo.* IV, 53. *Luc.* XXII, 32. *Phil.* I, 13. 2. *Cor.* IX, 2. d) Ex eleemosynarum erogatione. Hæ quippe sunt fructus fidei *Gal.* V, 22. *Col.* III, 12, 2. *Pet.* I, 5. e) Ex precum ad Deum verum continua directione. Erat enim δεόμενος τῷ Θεῷ διὰ παντός. Quas cum εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τῷ Θεῷ ascendisse Angelus doceat, patet, verum a precante Deum fuisse in vocatum. A quo enim preces rata fuerunt habitæ, ad eum directas fuisse oportuit. f) Ex angeli divina missione missique agnitione & veneratione, quæ Cornelium de angelorum quoque bonorum non modo existentia, sed & in procuranda hominum salutem ministerio informatum fuisse docent. Quibus observatis mirum videri poterat ausos fuisse aliquos Centurionem numero fidelium exemptum in ethnicorum numerum gregemque rejicere. Aliquanto rectius *Osiander* in ref. Pucci: Ignoravit quidem Messiam jam venisse, Eundemque esse Jesum Nazarenum: Tamen non ignoravit expectandum esse Messiam, & tali modo in eum reddidit, quomodo ceteri Israelitæ crediderunt in futurum Messiam. Dixerit Indifferentista: Non negari, quod verum Israelis Deum agnovit; hoc negari quod ordinariæ, & mediante verbo externo cognoverit. Sed patet contrarium 1.) e testimonio gentis Israeliticæ, quod contra Puccium in primis *Osiander* c. I. urget, quippe apud quam bene audiebat ob pietatem & cultum v. 22. A qua vero gente testimonium vitæ ac pietatis tulit, illius etiam religionem haud dubie est secutus. Conf. Exemplum Centurionis Capernaitici, *Luc.* VII, 3. 4. In primis tamen id  
 con-

constat 2.) *testimonio Petri.* Hic enim Cornelio, huiusque domesticis & agnatis sermonem de Christo non tanquam novum propinat, sed ceu dudum cognitum auditumque in memoriam revocat: τὸν λόγον, inquit, ὃν ἀπέστηλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ εὐαγγελιζόμενον εἰρήνην τῷ Θεῷ. NB. ὑμεῖς οἴδατε τὸ γινόμενον ῥῆμα καθ' ἑλθὲς τῆς Ἰουδαίας. Cognitum ergo confirmat, non novum aperit Evangelium, fuitque adeo Cornelius ex iis, qui solum baptismi Joannis doctrinamque ab eo promulgatam norant, e qua ipsi de adventu Messiae ita constabat, ut de illius ministerio, ac miraculis, passione item, morte ac ceteris specialiora ignorarent, quorum non exiguum fuisse numerum discimus exemplo Apollinis *Act.* XVIII, 25. & aliorum *c.* XIV, 3. Non igitur absque verbo, sed per verbum, tum a Judaeis, quorum, sese coetui junxerat, tum a Joanne, & fama de Christo longe lateque sparsa, petiitum tractus fuit ad veram pietatem Centurio, Petrina mox concione uberius informandus. Quem cum praeterea Christianam religionem professum fuisse Libertinus admittat, quid tandem sibi, suaeque opinioni adducto Centurionis exemplo lucratus fuerit, nondum perspicio.

§. IIX. Sed nec meliore successu ad *Magorum* provocavit exemplum. Hos enim procul omni verbo externo ad Christum fuisse adductos quo demonstrabitur argumento? Negat hoc contra *Puccium Oslander p. 29.* & rationes allegat: *Quod, inquit, Magi e Persia habuerunt salutarem Christi Regis caelestis cognitionem, mirum non est. Daniel enim Propheta ante 500. annis in Persico regno vixerat in magna auctoritate, ibique conscripserat suas prophetias, de Christo Messia, & rege caelesti: Et quidem etiam tempus adventus & passionis Messiae annotaverat, quae prophetiae hodie etiam extant. Et Scriptura semper loquitur, etiam cum homines moriuntur. Magi autem Persici fuerunt Viri Docti, qui varia scripta, & imprimis prophetias*

E

Da-

Danielis evolverunt, & expenderunt. Excitati igitur per novam illam, inusitata magnitudinis & claritatis stellam, & supputato tempore adventus Messiae ex Libro Danielis, duce stella profecti sunt in Judæam, ut mundi Servatorem, in quem nondum natum crediderant, jam natum adorarent. Fuit igitur hæc specialis Dei gratia, quod Magi ex Scriptis Danielis Christum servatorem agnoverunt. Hactenus Osiander. Et sane Daniel in schola Magorum fuit educatus *Dan. I, 6.* cujus familiaritatis occasione ipsam de Messia doctrinam haud dubie aliquibus instillavit. Idem *c. II, 44.* Regi Babylonico exposuit de regno cœli futuro, quod nullum sit habiturus finem. Accedit, quod Judæi non omnes e Babyloniis Hierosolymas sunt reversi, sed multi remanserunt iis in locis, qui celebres illic scholas, & frequentissimas, habuerunt. Conf. *Act. II, 9.* Addimus, S. literas, non sine providentia Numinis Græce fuisse redditas, familiarique adeo sermone communicatas cum gentibus. Unde & multi erant hinc inde Viri boni, quos Scriptura *εὐλαβεῖς* appellat, qui, licet non essent circumcisi, libros evolvebant propheticos, & Deum venerabantur Israël, quod de Eunucho Æthiophe legitur *Act. VIII, 28.* Conf. *omnino Chemnit. Harm. T. I. c. 20. f. 108. b.* Falsum proinde est, vel Centurionem *Cornelium*, vel *Magos* etiam, sine verbo, beneficio Spiritus, ac internæ vocationis adductos fuisse ad Christum. Quin & utrosque jam conversos ad ministerium ordinarium, verbumque ab his petendum denuo ablegatos fuisse adjicimus. Cornelius enim jussus est accersere Petrum, qui loqueretur verba, per quæ ipse cum tota sua Domo salvus evaderet. *Act. X, 6.* Magis autem de industria subducta stella fuit, ut Hierosolymas delati observarent oraculum, quo non solum de patria, sed origine quoque ac muniis J. C. poterant edoceri. *Matth. II, 8.* Add. *Chemnit. l. c. f. 109.*

§. IX.

§. IX. Deum ipsum Indifferentissimo favere improbo  
 ausu evincere studuit Libertinus. A Deo transit ad homines,  
 probaturus, ne hos quidem ipsos, qui se orthodoxos putent, ab  
 Indifferentismo immunes esse. Wenn man z. e. einen Luthes-  
 raner fragt/ ob er meine/ daß alle Papisten/ Reformirten oder an-  
 dere Sectirer/ verdammet werden/ so pfleget er/ wosfern er noch ein  
 bißgen bescheiden/ und nicht ganz in der Sectirischen Blindheit er-  
 sofften/ darauff mit Nein zu antworten. Und also sind die Lu-  
 theraner auch in so weit Indifferentisten. Quod ipsum non  
 ex suo ipsius ingenio deprompsit, sed a Pontificiis mutuo acce-  
 pit. Idem Pazmannus in bodego, idem P. Angelus in quest. fund.  
 de Luth. Relig. idem alii objecerunt, vel ipsius Lutheri auctori-  
 tate adducta, qui in Papatu multa fuisse bona, verumque Chri-  
 stianismum admiserit, T. IV. & VI. Altenb. Vid. Seckendorf.  
 Christ. L. I. §. 133. f. 232. ubi hac eadem a recentioribus Gallis,  
 Bossueto & Richardo objecta nobis fuisse memorat, nec non L.  
 II. S. XIII. §. 40. f. 116. b. & L. III. S. VII. §. 22. f. 59. a. Addatur B.  
 Bald. in AntiPazm. L. III. c. 19. p. 203. seqv. B. Pfeifferus im Luthera-  
 thum vor Luthern p. 131. Idem contra B. Haberkornium ad fa-  
 stidium urgent Walenburchii T. II. OO. de Controv. Fidei fol. 84.  
 seqv. ed. Colon. Nos ante omnia monemus duo dari in religio-  
 ne falsa, orthodoxæ opposita: quandam doctrinæ Christianæ  
 substantiam, & accidentalem illius corruptionem. Omne  
 enim corruptum supponit aliquid Boni. Et quemadmodum  
 vappa dici non potest, nisi quod, quæ substantiam, est vinum;  
 sic nulla dici potest religio hæretica & corrupta, nisi dogmata,  
 quædam vera & bona contineat. Adeoque falsa religio dicitur,  
 non in quæ omnia, sed in quæ multa, vel pleraque sunt falsa. Vid.  
 B. Mentzer in Apol. I. Diss. Anti-Pistor. T. II. OO. p. 1950. nec non  
 B. Feuerborn. Fasc. VI. Diss. III. §. 48. Hæc falsa porro vel tan-  
 gunt fundamentum fidei, vel non tangunt. Sin illud; religio est

*hæretica: in hoc; Schismatica.* Causa interim corruptelarum communis est, quod homines corrupturi doctrinam revelationi divinæ, *adequato & unico* religionis Christianæ principio, jungunt alia *peregrina & spuria*, traditiones, Infallibilitatem Papæ, rationem corruptam, *ιδίαν επίλυσιν*, & alia. Hinc diversa conclusiones & dogmata. *Veritates* residuæ Deo, hujusque Verbo: Subintroduci *errores Satanae* hujusque *administris* debentur. *Matth. XIII, 25. Gal. V, 8.* Quæ inter tantum, intercedit discriminis, quantum est inter *verum & falsum pretiosum & vile, Christum & Belial, salutare & damnabile.* Tantum enim quæque conclusio valet, quanta est principii, ex quo deducta fuit, auctoritas. Merito ad *religionem* transtulerim, quæ de *Ecclesia* in *Disp. AntiWalenb. II, §. 30. p. 29.* disputavit quondam *B. Haberkornius*: Si, ait, publice etiam dogmata nonnulla vera, suo modo *S. Scriptura* convenienter quidem proponuntur, & *e Sacramentis* saltem unicūm ad huc. v. g. *baptismus* quo ad substantiam, verè administratur, cetero qui vero alia dogmata falsa, cen errores fundamentales admiscuntur, & traduntur, tum a veris dogmatibus vera est *Christi Ecclesia, sed ab erroribus illis est falsa & corrupta.* Illo modo est templum Dei, hoc vero, spelunca latronum *Jes. LVI, 7. Matth. XXI, 13. 2. Thessal. II, 4. Luc. XIX, 46. Apoc. XVIII, 2.* Ac patet ex exemplo *Ecclesie Judaicae, Samariticae, Pharisaicae, Anti Christianae &c. ex S. Scriptura.* Quo ergo dogmata plura vere in *Ecclesia Christi* docentur, eo majori gradu, & specie perfectiori est vera, & eo illustrius & expressius pure vera *Christi Ecclesia* se ad illam eatenus referre, & in illa se suamque doctrinam veram ostendere potest. Quo vero plures & perniciosiores errores fundamentales in illa grassantur, pauciora, vero dogmata vero in ea docentur, eo minori gradu & specie, seu effigie rudiori est vera, & eo obscurius atque imbecillius in illa simpliciter vera *Christi Ecclesia, se ostendere valet.* Vid. *Ideim*  
in

in *Anti-Forero Diss.* VII. IIX. & IX. hujusque *Vindictis Diss.* in-  
 primis VII. & IIX. Interim uti *habitus* & *privatio* in eodem  
*subjecto* dantur, sic *verum* & *falsum* in religione corrupta per-  
 missa sunt invicem arctissimeque conjuncta. Quisquis igitur  
 imbuitur illa, quin una cum veritate errores imbibat, evitare  
 vix potest. Et quemadmodum homo renatus ob *duo* inimica  
 sibi principia, *carnem* & *Spiritum*, nunc *vetus*, nunc *novus* ho-  
 mo dicitur, sic homo religioni corruptæ deditus, respectu *do-*  
*gmatum e verbo* Dei haustorum *Christianus* audit: ratione ad-  
 mistorum *errorum*, eorundemque capitalium, dicitur *Chri-*  
*stianus corruptus* h. e. hæreticus. Caterum prout quodque  
 horum, in agone cum primis, vel *dominatur*, vel *non dominatur*  
 præ altero, sic de salute hominis, vel *bene* vel *male* sperari pote-  
 rit. Si fiducia operum, si traditionum humanarum, si sacri-  
 ficii Missæ, si absoluti decreti, gratiæque particularis defen-  
 sio, aliique errores fidei fundamentum lædentes pravaluerint,  
 nescio, annon de salute dubitandi causam habeamus. Eva-  
 cuati enim sunt a Christo quotquot ex lege cupiunt justificari,  
 gratia exciderunt *Gal. V. 4.* Paululum fermenti in doctrina to-  
 tum corrumpit *1. Cor. V. 6.* Sin abjecta meritorum fidu-  
 cia confugit ad Christum, si ceteri, quos antea fovebat, errores  
 ceu stipulæ, igne tentationis sublati fuerint, si agnita illarum  
 universalitate promissiones divinas sibi applicuerit, bene res  
 habet: errores, navos, defectus, retento fidei fundamento, con-  
 donat Deus. Esto, seductum nec *errores* omnes nominatim,  
*reicere*, nec *veritates* etiam omnes imbibere: Sufficit quod  
*contumaciam* illos defendendi abjecit, *voluntatem* has *admitten-*  
*di* habet. Salvabitur, affirmante Apostolo, sed velut per ignem  
*1. Cor. III. 15.* In orthodoxa vero, & cui nihil erroris est admix-  
 tum, religione, uti omnia sunt vera, ita ne falsum prævaleat,

aut inde aliquod fidei periculum emergat, verendum non est. Quapropter quod quis, Pontificius licet, aut Reformatus, & sancte vivit, & pie moritur, illud non eorundem religioni, *quanti*, sed *qua veritates resduas*, non *per se*, sed *per accidens*, est tribuendum. Uti enim fieri potest ut *venenum* in se *noxium*, & omnium consensione mortiferum, vel bonitate naturæ, & magnitudine virium superetur, vel sumpto etiam antidoto, ne homini vitam exripiat, reprimatur: Sic fieri potest, ut venenum spirituale, hæresis perditionis, in hoc illove homine, vel sumpto e verbo Dei, & precum assiduitate antidoto, vel fidei etiam firmitate superetur *ex accidenti*, omnes hominis spirituales vires, vitamque ipsam, si in se *spectetur*, certissime erepturum. Ex hoc igitur concludi non debet, quælibet in quolibet religione salvari posse. Nam & peccatum omne, quantumcumque nobis videatur, *in se*, & sua natura est mortale, *Deut. XXVII. 26.* & tamen *ex accidenti* vel in homine renato, si sit ex infirmitate & ignorantia commissum, sit *veniale*, vel etiam si atrox & grande sit, ob intervenientem remissionem *actu ipso* æternam mortem non attrahit. Uti vero inepte quis concluderit: Homo *venialiter*, vel etiam *mortaliter* peccans (dummodo ante vitæ exitum absolvatur) potest salvari, & *bene, sancteque vivens*, etiam potest salvari: Ergo inter peccata & B. O. vel inter peccatorem, & bonorum OO, studiosum nihil intercedit discriminis; Sic oppido sunt absurdi, qui ex eo, quod falsa religio huic vel illi homini *ex accidenti* non *actu ipso* inferit exitium æternamque mortem, vel quod Pontificius & Reformatus *specificative*, & in ampliacione quadam spectatus, perinde ut Lutheranus, salvatur, colligunt cum Indifferentista, inter Papisticam, Reformaram & Lutheranam religionem nihil intervenire discriminis. Vid. *Theol. Wittenb. grundl. Beweis* *Pref. c. VII. Qu. 2.*



S. X. Quæ etiam si æquis, sanisque Lectoribus possunt  
 sufficere, movet me tamen argumenti, quo de disputatur,  
 pondus, amplius ut Libertino in memoriam revocem, nomina  
*Papistarum, Reformatorum, Socinistarum*, addo etiam, ipsorum  
*Lutheranorum* esse discretiva, quæque adeo *Christianis* conve-  
 niunt, non quia confessionem *communium*, vel eorum, in qui-  
 bus *consentiunt* cum ceteris, sed quia professionem *singularium*,  
 vel eorum, in quibus *dissentiunt*. Itaque nemo dicitur *Ponti-*  
*ficius*, quia statuit *revelationis alicujus divina existentiam*, vel  
*quia credit Christum esse Dei Filium, ac Servatorem mundi, homi-*  
*nem justificandum esse coram Deo, necessaria esse bona opera, dari*  
*Sacramenta &c.* In his enim omnibus ei cum Lutheranis,  
 juxta & Reformatis convenit: sed *quia revelationi divina jun-*  
*git traditiones non scriptas, & infallibilem auctoritatem Papæ,*  
*quia credit hominem justificari per infusum habitum charitatis,*  
*BB. OO. esse necessaria ad salutem, VII. dari Sacramenta &c.* In  
 his enim omnibus ab utrisque dissentit. Porro nemo ideo  
 dicitur *Reformatus* quia statuit *Christum esse Dei atque Mariæ fi-*  
*lium, eundemque pro hominibus mortuum sedere ad dextram Patris,*  
*dari predestinationem, manducationem spiritualem in S. Coena.*  
*&c.* Sed quia negat *Christo homini communicatam esse maje-*  
*statem vere divinam, eundemque mortuum esse, nemine excepto,*  
*pro omnibus, & propter sessionem ad dextram Dei in caelestibus*  
*ubique presentem esse, quia fingit aliquos predestinatos esse ad*  
*malum, idque ex absoluto & inevitabili decreto, quia statuit Sa-*  
*cramenta nuda esse signa &c.* Insultum proinde ac ridiculum  
 est, quando Libertinus Noster, quemlibet in qualibet religione  
 salvari posse ostensurus, monet, nostro ipsorum judicio, *Ponti-*  
*ficius*, si per fidem in Christum, non per opera justificari velit,  
 salvari posse. Quod perinde est, ac si quis dixerit: Eum, qui  
 nugari desierit, omnino posse sapere: aut, si quis inferat, quem-  
 libet

libet quibuslibet moribus posse salvari, quia cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque iudicium & iustitiam : vivet in iis Ez. XXXIII, 19. Etenim si quis erroneas opiniones cum veritatibus commutat, & missis, quæ Pontificiis sunt propriae, sententiis, amplectitur Nostras, speciatimque desperatis operum meritis confugit ad Christum, jam non amplius est Pontificius, (hic enim longe diversa statuit,) sed Lutheranus & orthodoxus. At inquis, *fingo hominem illum manere cœtu in Papiſtico, nec unquam ad Lutheranum accedere* : R. Qvi sua, quam eo usque coluerunt, religionis errores, aliena autem veritates perspiciunt, hi puriori se cœtui jungere vel possunt, vel non possunt. Qvi possunt, & tamen nolunt, hi I.) vel ex infirmitate, & metu periculi remanent, ne ob mutata sacra diris devoveantur a suis, vel insidiis adversariorum circumventi fortunis, aut capite etiam mulctentur : vel aliis de causis. Sin illud; aliquam eos excusationem mereri admittimus. Certo tamen peccant, verendumque est ne accensa in corde fidei scintillula profus exstingvatur, & ex infirma & langvida, fiat mortua. Quod de Judæorum principibus Jo. XII, 42. affirmat Damab. Hod. Sp. Pap. T. II. Phant. IX. p. 231. Conf. tamen B. Feuerb. Disp. XIV. T. VII. Giff. §. 50. seq. Nonnulli in cœtu corrupto remanent de industria 2.) Spe lucri & cupiditate gloriae apud homines, aut temporariae cujusdam commoditatis. Hæc non possunt consistere cum vera & salvifica fide, quippe quæ secum trahit abnegationem sui, rerumque temporalium contemptum. Diserte Servator Joh. V, 43. Quomodo vos, inquit, potestis credere, qui gloriam a vobis invicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo proficiscitur, non queritis. Quapropter qui hac una de causa in cœtu corrupto remanent, hi graviter peccant, & etiamsi aliquid fidei initio habuerint, perdunt tamen, & nisi resipiscant, damnantur. Alii denique 3.) accessum ad puriorem Ecclesiam negligunt

gunt *fiducia virium*, & inde oriunda *securitate carnali*, quasi non obstantibus coetus illius, in quo scientes volentes permanent, corruptelis, nihilominus praeservari queant a malo, & custodiri in fide. Hoc vero est tentare Deum, hujusque velut experiri virtutem velle, an extra ordinem & per miraculum, non adhibitis solennibus mediis, possit quis persistere in fide. Itaque hoc ipsum denuo cum quodam salutis periculo est conjunctum. Equidem virtute Dei custodimur per fidem in salutem *1. Petr. I, 21*. At enim vero virtus illa est *ordinata*, h. e. mediis a Deo ipso praescriptis, & constitutis innexa. Quaecumque, nisi in puriore, veroque Dei coetu, pura & sincera non dentur, male omnino sibi, suaeque saluti consulunt, qui, agnita licet veritate, in Ecclesia corrupta, multisque erroribus ac vitiis laborante, subsistunt. Neque enim sufficit *concepisse* fidem, aut aliquid fidei habuisse ad tempus: *continuanda* quoque & conservanda est eadem. Conservatur autem per *media* divinitus constituta, *Verbum & Sacramenta*. Utroque destituitur coetus haereticus, speciatim Papisticus, quippe qui & Scripturae lectione Laicis interdicit & verbum variis admistis traditionibus corrumpit, Coenamque mutilat, & calicem intervertit. Deficit ergo in Ecclesia Papistica *pabulum* nutriendae fidei destinatum. Subtracto pabulo deficit fides, perinde ut negato cibo ac potu periclitatur vita. Adeundus itaque, ne Deum tentare velle videamur, coetus ille, in quo verbum Dei pure docetur, & Sacramenta rite administrantur. Haec qui negligit, is spernit consilium Dei contra seipsum *Luc. VII, 37*. indignumque se reddit vita aeterna *Act. XIII, 46*. Et quemadmodum temeritatis notam incurrisset Jacobus, si cognitis licet Aegypti copiis, strenue tamen luctari voluisset cum fame in Palaestina, & vel metu periculosi itineris, vel cupiditate pecuniae retinendae vel fiducia miraculosa cujusdam, & divinitus

F

expectandæ sustentationis in Canaan permanere ; sic temere ac inconsulte agunt, qui cum ad divitias Verbi & Sacramentorum in puriore cœtu pateat aditus, tolerare famem exsuccisque & egenis se elementis alere, quam ad illas se applicare malunt. Repugnat etiam 4.) natura fidei veræ, cujus proprium est intrepide coram aliis etiam profiteri ore, quæ corde nostro deprehendimus immotæ supernæque esse veritatis, iudice B. Geiero ad Ps. CXVI, 10. f. m. 2150. Itaque reciproce possumus accipere Paulinum illud 2. Cor. IV, 13. Credidi idcirco locutus sum, & quia locutus sum, ideo me credidisse certum est. Conf. *Tarmon. Exercit. p. 823.* Accessio autem ad puriorem cœtum species est Confessionis, & pars gloriæ Deo debitæ, quam qui subtrahit, majestatem ejus graviter lædit, abnegandus a Christo coram Patre, perinde ut abnegavit Christum coram hominibus. *Matt. X, 33. Marc. VIII, 38. Luc. IX, 26. XII, 9.* Pondus addit 5.) mandati divini auctoritas. Christus enim Vitare jubet falsos Prophetas *Matt. VII, 15.* & ab iisdem deflectere *Rom. XVI, 17.* Conf. *Jo. X, 4.* Homini sanam doctrinam non afferenti non modo non hospitium præbendum sed ne ave quidem dicendum est 2. *Johan. v. 10.* Quapropter tam simus ab hæreticis separati, quam illi sunt ab Ecclesia profugi, auctore *Cypriano L. I. Ep. 3. ad Cornel.* Si de corruptelis cœtus alicujus convictis fas est remanere in eo, cure egredi jubentur sancti e Babel *Apoc. XVIII, 4.* Cur ipsi Christiani a Judæis, quibuscum tamen ipsis in quamplurimis conveniebat, peculiari sese nomine, & Ecclesia distinxerunt? *Act. XI, 26. coll. cum c. XV, 11. c. XVI, 22. Eph. II, 20.* Certe cultum publicum Israelis corruptum Sacerdotes & Levitæ, aliique cum iis reliquerunt etiam corpore, & Sacerdotio Judæos inter puriori se adjunxerunt 2. *Chron. XI, 13. seqv. Tob. I. vers. 6.* Naëman vero corpore quidem aderat Regi idololatræ, ceu minister, attamen corpore a desse volebat amplius cultui idololatrico ceu membrum illius externum 2. *Reg. V, 17. seqv.* Quisquis  
igi-

igitur de veritate religionis in cœtu alieno conyictus est, is so-  
 lius externæ commoditatis gratia cœtu in corrupto remanere,  
 non potest. Quo enim pacto debitum Deo exhibebit cultum,  
 quem omnino negligere salva conscientia non potest? Si *pri-  
 vatim* præstat, hoc ipso secessionem fecit a Secta. Sin *publice*;  
 rum vel *iisdem* cum Secta Sacris *utetur*, vel *non utetur*. Si *iis-  
 dem*, probavit denuo tacite, vel saltem simulavit consensum,  
 eaque de causa est hypocrita, carens fide. Qvemadmodum  
 Israel secundum carnem h. e. Judæi, qui tempore N. T. cere-  
 moniis Leviticis solenniter abrogatis, nihilominus utebantur,  
 hoc ipso participes facti altaris, seu religionem Judæicam ap-  
 probasse, & in unum cum iis corpus coaluisse dicuntur *1. Cor.*  
*X, 18*. Sic qui Sacris Sectariorum intersunt, iisdemque nulla  
 urgente necessitate utuntur, hi eo ipso probant ea, in idemque  
 cum Hæreticis corpus coalescunt, manentque *in* Secta, &  
 sunt *de* Secta. Sin quis *diversis* utitur, is nec *in* Secta est, nec  
*de* Secta. Non *de* Secta, quod adversarius largitur: non *in*  
 Secta, quia neque ea quæ Sectæ, quæ talis, sunt, *credit*, nec ea  
 quæ Sectæ sunt, *facit*. Et licet in eadem cum Sectariis *republi-  
 ca* maneat quæ corpus, non tamen eadem cum illis *Ecclesia*.

§. XI. Si qui vero sunt, qui ut maxime velint, puriori  
 sese cœtui jungere, vel *tyrannide*, vel *valetudine*, vel alio quo-  
 piam *ineluctabili malo* præpediti non possunt, de his statu-  
 endum est mitius. Necessitas Legem non habet. Aucto peri-  
 culo, auctis insidiis, vires Deus, & remedia auget, ut vel medios  
 inter veritatis hostes, veritatem tamen sancte custodiant. Ne-  
 que vero quoniam corpore se nobis jungere non possunt, Hæ-  
 retici manent. Contrarium enim docet contraria Sectariis  
 fides. Qvin Lutherani sunt & Nostri, si non quæ *nomen* & ra-  
 tione *externæ societatis*, tamen quæ *rem*, & ratione *internæ con-  
 sensionis*. Noster est, qui ubi ubi sit, religionem nostram am-  
 plectitur & defendit: Lutheranus est, qui probatas ab Luthero

assertasque, sententias laudat; Socius Aug. C. est, qui hujus dogmata sincere probat ac recipit, etiam si nec cœtui nostro visibili sese junxerit, nec de Luthero quicquam cognoverit, nec Aug. C. unquam subscripserit. Deferto corrupto cœtu ad puriorem accedere mutata solum religionis indicium est, novumque adeo significat Lutheranum, non facit. Nam quem admodum ipso facto e nobis egrediuntur hæretici, dum a receptis in Ecclesia verboque Dei comprehensis sententiis desistant, etiam si a cœtu visibili excludi se ipsa non sint: Sic e contrario ipso ad nos facto accedunt, qui nostras probant, & amplectuntur sententias, etsi nolentes volentes cœtu in corrupto remaneant.

§. XII. Atque hæc quidem huc usque disputata quum doceant, illuminationem, si quando in adversarios cadit, iisdem non per receptæ religionis corruptelas, sed residuas veritates obtingere; Sectarios autem, si missis erroribus locum dederint veritati, non amplius pro hæreticis, sed orthodoxis haberi eosdemque, agnitis cœtus sui navis, omnino ad puriorem, ni gravibus impediatur causis, accedere oportere, patet una, Nos fratres pro his propugnantes non magis in suspicionem probati admissique Religionum Indifferentissimi adduci posse, quam Apostolos, quando gentiles, missis superioribus superstitionibus, positoque debito ad Ecclesiam accessu Christianorum concorporales, & vitæ æternæ coheredes esse suis in Epistolis tradiderunt.

§. XIII. Non majoris momenti est, quod §. 17. a Libertino subnectitur, ipsos nimirum Lutheranos, juxta & Reformatos concedere, quod Pontificiorum, Socinistarum, Tremulorum, aliorumque corda flecti a Deo & emendari possint, eoque ipso Indifferentissimum Religionum denno probare. Vellem autem primo, attulisset fanaticus auctores, quo inspectis collatisque

verbis

verbis commodum de illorum sententiis ferri iudicium potu-  
 isset. Vix enim credibile est *Lutheranos & Reformatos*, quum  
 utriusque *Pontificios* capitalis hæreseos postulent, *Socinistas* vero  
 & *Tremulos* nequidem in numero *Christianorum* habendos esse  
 doceant (vid. *Jos. Stegm. Diss. I. c. Photin. qu. 2. p. 4. seq. Th.*  
*Thummus in Proleg. Impiet. Photin. OO. Belg. sæd. edito pec. c.*  
*Oster. & Voidov. Anno 1599. Gomar. Diss. XXV. de Iustif. Hornb. in*  
*Socin. profl. Appar. p. 75. seqv. ) eorundem religionibus emen-*  
 danda voluntatis virtutem, non magis, quam *vera & ingenuæ*  
 tribuisse. Sed esto, dedisse illud nonnullos: Videndum qua  
 mente, qua sententiã dederint. Hæreticus omnis considera-  
 ri potest vel *specificative*, prout falsum, juxta & verum statuit,  
 vel *reduplicative*, prout religionis suæ corruptelis pertinaciter  
 inhæret, ad earumque præscriptum cultum Deo exhibendum  
 moresque suos componit. Specificative sumptum hæreti-  
 cum emendari posse in voluntate tam Ego non negaverim,  
 quam facile concesserim, eundem corrigi qua intellectum pos-  
 se & ex hæretico fieri orthodoxum. Etenim homo *Pontificius*  
 ex Decalogo in mediis etiam Papatus tenebris conservato, &  
 particulis Evangelii sibi relictis potest & modum colendi De-  
 um addiscere, & veram ac salutarem in Christum fidem conci-  
 pere. Quod tamen ipsi non evenit qua *Pontificio*, sed qua  
*Christiano. Sociniani* vero, *Weigeliani*, ceterique *fanatici* uti Ver-  
 bum Dei & in fontibus & in versionibus possident, ita si depo-  
 sitis præjudiciis Spiritui sancto informandos se prabeant, pos-  
 sunt ab eo per Verbum & ad veram notitiam & veram quoque  
 pietatem adduci. *Nolumus*, inquit *B. Haberkornius Diss. II.*  
*Anti-Walenb. S. 30. p. 28. Spiritui S. limites præfigere, & præ-*  
*cise negare, quod per nudam veritatis biblicæ prolationem & alle-*  
*gationem, aliqui simplices Laici per Dei gratiam mirabilem, vera,*  
*fide, contra Doctorum suorum sensum, imbuantur, & sic salventur*

*Phil. 1, 18.* Hoc tamen pacto non manent *Heretici*, sed fiunt *Orthodoxi*, & subsecuta in voluntate correctio non religioni eorundem *corruptæ*, sed miraculosæ Spiritus S. operationi per verbum intemeratum debetur. Insulsa proinde consecutio est: *Pontificius, Socinista, fanaticus, specificative & in ampliatione spectatus emendari quæ voluntatem potest, perinde ut Christianus vera religione imbutus: Ergo inter verum & falsum, hæreticum & orthodoxum nihil datur discriminis.* Tum demum id sequeretur, siquidem *Pontificius, Socinista, Tremulus reduplicative & quæ talis*, non obstantibus capitalibus in doctrina erroribus, ab eo non modo admissis, sed & retentis, mordicusque defensis emendari quæ voluntatem posse, statueretur. Quod quidem constantissime negamus. Recte *B. Gerb. L. de BB. OO. §. 9.* *Per errores contra fundamentum fidei directe pugnantibus, & pertinaciter defensos non minus, quam per peccata contra conscientiam excluditur Sp. S. gratia.* Ergo *hereticorum vere & proprie sic dictorum, opera non possunt esse spiritualiter bona.* Eamus per exempla. *Qui homo Pontificius, quæ talis, Deum recte colat, aut morum sanctimoniam præstet, quum per religionem suam præceptorum divinorum vim variis exceptionibus, & reservationibus eludere, spem suam in operibus ponere, Christo Servatori Divos adjungere, imagines adorare, Magistratui ob religionem obsequium negare, & alia hujus generis quæ pietatem manifesto lædunt, admittere jubeatur? Vid. omnino Magnif. Dn. D. Mayeri Catechismus Papisticus Ao. LXXV. iterum evulgatus.* *Qui Socinista Deum vere integreque colat, cum Trinitate negata Deum non habeat: Qui sancte vivat, cum impie credat? Non potest ex illorum doctrina, verba sunt Hornbecki in Appar. ad controv. Socin. p. 100. sequi ea pietatis vis, quam Evangelium præbet ac docet. Non ibi illa hominis humiliatio, peccati miserieque agnitio, fides & in Deum*  
Cbr-



Christumq; fiducia, Spiritus Sanctificatio, regenerationis vis & constantia, non ea vera hominis pii consolatio, denique non beatitudo, aliaque quæ religio Christiana continet, & vera pietatis fulcra sunt atque argumenta. Porro qui fanaticus correctæ gaudeat voluntate, quum quicquid operatur & facit, non a Spiritu S. motus, sed a Cacodæmone agitur operetur & faciat? *Weigeliani* speciatim quam exercitium pietatis graviter lædant ostensum videtis a *Thummio ad calcem Imp. Weigel. p. 365. sequ.* Cui addi meretur utraq; *Job. Croci in Anti-Wigel. præfatio*, quæ improbos fanaticorum mores acriter notat, & non uno specimine declarat, indignante tamen *G. Arnoldi* communi hæresium & maleficiorum Patrono *Hæresiol. P. III. L. IV. c. 1. f. 7. 8.* Denique cum voluntatis & corruptionem & emendationem ab intellectu fluere, evidentia locorum *Rom. I, 21. 22. 24. Eph. IV, 17. 18. 22. 1. Petr. I, 14.* convicti persuasissimum habeamus, quid mirum eos qui luminis, sunt expertes, nec ut luminis filios ambulare? ἄνθρωποι διεφθαρμένοι τὸν νῦν, & ἀπεσημαμένοι τῆς ἀληθείας, νομίζονται NB. πορισμοῦ εἶναι τὴν εὐσέβειαν *1. Tim. VI, 5.* Hinc incidunt in tentationem & laqueum, & ἐπιθυμίας ἀνοήτους, quæ demerguntur in exitium *c. 9. 10. Conf. Vaek de uniend. Christ. animis L. I. c. 1. T. II. p. 388.* Itaque Hæretici, vere tales sunt alieni a vita quæ est ex Deo *Eph. IV, 18.* sunt palmites a Christo vite revulsi *Jo. XV, 4.* Ergo Opera eorum sunt mortua. Fallitur oppido Libertinus, si, quæ quocunq; modo pietatem & sanctimoniam mentiuntur, pro Deo gratis virtutibus reputat. Nihil frequentius est quam ut tenebrarum princeps sub angeli lucis schemate personaque appareat. Aliud est pietatis speciem, aliud pietatis virtutem habere. Si nudum placendi studium satisfaceret Deo, nil ei gratius foret ἐθελοδρασκεία, quam tamen suis in literis perpetuo damnat. Sine fide impossibile est placere Deo *Hebr. XI, 3.* Quicquid ex hac non oritur est peccatum *Rom. XIV. v. ult.* Hæretici discesserunt a fide *1. Tim. IV, 1.* huiusque fecerunt nanfragium

um 1. *Tim. I. 29.* Quomodo igitur OO. eorum possunt proficisci ex fide. Fides nititur Verbo & Sacramentis. His temeratis, quæ sana fides, quæ sancta pietas dari potest? Non est, quod dixerit Libertinus: *Deum tamen se nullibi obligasse, quod solorum Lutheranorum & Reformatorum mutare corda velit.* Nam nec ullibi se obligavit Deus, quod solorum Christianorum, exclusis gentilibus, mutare corda cupiat. Num Deus est Judæorum (Christianorum) non etiam, gentilium? *Rom. III. 29.* Ergone etiam horum quæ tales sunt & manent, est emendanda voluntas? Deus utique non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti 2. *Petr. III. 9.* consequenter vult omnium quoque corda mutari: At enim vult etiam omnes ad agnitionem Veritatis venire 1. *Tim. II. 4.* Quapropter hæc universalis Dei ad corda hominum immutanda propositio, non absoluta est, ut loquimur in scholis, sed ordinata, & certis mediis ab homine admittendis, applicandisque innexa. Quæ cum in cœtibus hæreticorum vel corrupta sint, vel prorsus abolita, patet solidam voluntatis emendationem, in eosdem, quæ tales, cadere non posse.

§. XIV. Pergit §. 18. *Lutheranos ipsos fateri, hominem, cetera improbum, & moribus corruptum, etiamsi A. Confessionem receperit, & Catechismum Lutheri perdidicerit, minime salvari. Sic ergo Eos denuo Libertinismum admittere. Quod quidem argumentum frivolum est, & vix responsione dignum. Numme enim illi qui sola nos cognitione salvari negant, & præter Verum de Deo sensum, etiam relictum ejus cultum omnino exigunt, idcirco notitiæ vel etiam religionis Indifferentismum admittunt? Num sequitur, aliquid esse indifferentem, quod ad effectum producendum solum non sufficit? Dabo aliud quod multo certius ex illa Nostratum opinione consequitur, nempe per calumniam iis tribui, quod non nisi Credenda, neglectis Faciendus, in recuperanda salute exigant. Contrarium omnino docent Symbola, Catechismi, Systemata, privatotum scripta. Unius Mentzeri prodeat testimonium: *Qui fidem, inquit, Christianam profitetur, & eandem simul exprimit bonis Operibus, ille verbo & facto simul testatur, & confirmat, se vere in Deum credere (non simulate) ac proinde vere etiam esse justificatum. Quemadmodum contra: qui fidem profitetur in Christum, & tam. n. impie vivit, aut externam quidem vitam honestam & laudabilem agit, non autem profitetur fidem Christianam: de eo certe statuitur justificatum non esse. T. II. G. ff. Di. p. XI. §. 38. 39.**

) : o : (

AB: 153151

ULB Halle

3

002 635 879




TA 306

H. 73.







Q. D. B. V!  
DISPUTATIO II.  
qua  
**INDIFFERENTISMUM**  
**RELIGIONUM,**

sub larva  
Erici Fridlibi,  
impie defensum,  
*In Academia Wittenbergensi ad purum Dei*  
*verbum examinant, juxta & improbant.*

PRAESES  
**GOTTLIEB VVERNSDORFIUS,**  
Theol. D. & Prof. P. Extraord. Collegiique

Philos. Adj.

&

RESPONDENS

**JOHANNES JACOBUS** *Weghler*/

VVeiffenburgo-Noricus.

d. April. 1701.

VITEMBERGAE,  
Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.